DE SINENSIUM RITIBUS POLITICIS ACTA

SEU

R. P. FRANCISCI XAVERII
Philipucci Miſſionarii Sinenſis
è Societate JESU,

PRÆLUDIUM

AD PLENAM DISQUISITIONEM an bonâ vel malâ fide impugnentur opiniones & praxes Miſſionariorum Societatis JESU *in regno Sinarum ad cultum Confucii & defunctorum pertinentes.*

Lugduni & Vaneunt.

PARISIIS
Apud NICOLAUM PEPIE', viâ
Jacobæâ, ſub ſigno ſancti Baſilii.

M. DCC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX
CAPITUM ET RERUM.

Status quæſtionis motæ inter Miſſionarios Sinicos circa cultum politicum Confucii & Defunctorum. pag. 1. uſque ad p. 7.

CAPUT I.

Suppoſitiones 42. *falſæ quæ inveniuntur in quæſitis R. P. Fr. de Morales apud Romanam Curiam.* pag. 8.

1. *Falſa ſuppoſitio. PP. Societatis non propoſuerunt initio Sinenſibus Neophytis jus poſitivum circa feſta, jejunia, confeſſionem & communionem annuam.* p. 8.

2. *Abſolutè non adminiſtratur Sinenſibus mulieribus Sacramentum Extr. unct. à PP. Societatis.* p. 10.

3. *In Baptiſmo Mulierum quaſdam Sacramentales ceremonias omittunt PP. Societatis.* p. 10.

4. *In Sinis ſtatutum eſt ut* 30. *pro* 100. *in mutuo accipiantur.* p. 11.

5. *In Sinis ſolus fœnerandi modus eſt ex ſolo motivo mutui cum aliquo ſortis periculo.* p. 11.

6. *Sinenſibus accipiendi licitè aliquid ex commodato titulos non aperuerunt PP. Soc.* p. 12.

7. *Abſolutè uſurariæ ſunt ædes ubi accepto pignore*

pecunia fœneratur & lucrum exigitur. p. 13.
8. *Sinenſes ad fœnerandum compelluntur authoritate judicum.* ibid.
9. *PP. Soc. ignorant illicitam eſſe uſuram ad quam quis authoritate Principis compellitur.* ibid.
10. Fam li cien. *Significat dare pecuniam ad uſuram.* p. 13. 14.
11. *PP. Soc. malè docent Sinenſes circa id quod ex ſuo præſtare debent ad feſtivitates publicas.* p. 14.
12. *Permiſſum eſt Sinenſibus adire fanum Idoli* Chim Hoam. p. 15.
13. *Confucius ut Sanctus habetur & colitur.* ibid.
14. *Aula Confucii, verum templum.* p. 16
15. *Munera Confucio oblata, vera ſacrificia.* p. 17.
16. *Præfecti Sinenſes qui Confucio munera offerunt, Sacerdotis officium gerunt.* p. 18.
17. *Capra, candelæ, flores &c. Confucio oblata, veræ victimæ.* ibid.
18. *Litterati Sinenſes a Confucio volunt impetrare ingenium &c.* ibid.
19. *Sinenſes accipiunt aliquid de Idolothytis & oblationibus in aula Confucii.* p. 19.
20. *PP. Soc. permittunt coli exteriùs Confucium ab iis qui geſtant occultam crucem.* ibid.
21. *PP. Soc. levi de cauſa permittunt Sinenſes prætergredi hoc inconcuſſum axioma* non ſunt facienda mala ut eveniant bona. p. 20.
22. *Aulæ defunctorum, vera templa.* p. 21.
23. *Oblata defunctis, vera ſacrificia.* ibid.
24. *Menſa ubi defunctorum oblationes deponuntur, verum altare.* p. 21. 22.
25. *Paterfamilias offerens defunctis munera Sacerdotis officium gerit.* p. 23.
26. *Capra, odores, flores &c. oblata mortuis, veræ victimæ.* p. 23. 24.

27. *Oblationes defunctorum ſunt tam impetrationis quam gratitudinis cauſâ.* p. 24.

28. *Ante menſam defunctorum Sinenſes multa à defunctis poſtulant.* p. 25.

29. *Soli Chriſtiani Sinenſes dicunt in oblationibus defunctorum intendi tantùm cultum politicum.* p. 26.

30. *Tabellæ defunctorum, animæ ſedes apud Sinenſes.* p. 28.

31. *Animæ defunctorum verè exiſtimantur aſſiſtere oblationibus quas ipſis faciunt viventes.* p. 30.

32. *Ante Baptiſmum non docentur Sinenſes ſoli Deo ſacrificare licitum eſſe.* p. 31.

33. *Illicitus eſt omnis Sinenſium defunctorum cultus.* p. 34.

34. *Xim, idem quod ſanctus.* ibid.

35. *Sinenſes ſacrificant nomini Imperatoris viventis in tabella.* p. 35.

36. *Menſa ubi eſt tabella Imperatoris, verum altare.* p. 36.

37. *In templis Deo dicatis nefas eſt collocare tabellam Imperatoris eamque ſalutare more Sinenſium.* ibid.

38. *Permittitur oratio pro defunctis infidelibus.* p. 37.

39. *PP. Soc. pro defunctis infidelibus ſacrificant & orant in Miſſa.* ibid.

40. *PP. Soc. non prædicant Sinenſibus Chriſtum crucifixum.* ibid.

41. *Non oſtendunt imaginem Crucifixi.* p. 38.

42. *Ratio cur non oſtendant eſt quod Sinenſes ſcandalizentur.* ibid.

CAPUT II.

De *tranſlatione Sinica decreti ſacræ Congr. ann.* 1645. p. 40. *non eſt fidelis. ibidem. quis interpres, ibidem &* p. 42. *ejuſdem tranſlationis errata.* p. 44.

Perperam tranſtulit reſponſa ad quæſita.

1. *De oblationibus defunctorum.* p. 45. *uſque ad* 54.
2. *De muneribus Confucii.* p. 54. *uſque ad* 71.
3. *De muneribus* Chim Hoam. p. 71. *uſque ad* 75.
4. *De prædicando Chriſto.* p. 75. *uſque ad* 89.
5. *De Tabellis defunctorum.* p. 89. *uſque ad* 91.
6. *De fœnore.* p. 91. *uſque ad* 95.
7. *De ceremoniis ſacramentalibus in Baptiſmo & Extrema-unctione mulierum.* p. 95. *uſque ad* 98.
8. *De feſtis, abſtinentia, & jejuniis.* p. 98. *uſque ad* 102.

CAPUT III.

Quid interpres amiſerit in tranſlatione Sinica decreti illius Pontificii. p. 102. *uſque ad* 116.

CAPUT IV.

Cultus Confucii & defunctorum politicus malâ fide impugnatur. p. 116.
Propo. 1. *Controverſiæ Sinicæ Sinenſibus imprudenter communicatæ.* p. 119.
2. *Sacrificium verum cum aliis confunditur per æquivocationem litteræ* Ci. p. 123.
3. P. Fr. *Varus contra decreta Apoſtolica & ipſius ſuperiorum prohibitiones damnat abſolutè Tabellas defunctorum.* p. 129.
4. P. *de Morales nimium extulit obſequium filiale.* p. 136.
5. *Præceptum 4. decalogi minùs aptè in poſitivum & negativum dividitur.* p. 139.
6. *Inaudita Dei præcepta circa defunctorum funera proponuntur.* p. 141.
7. P. *de Morales permittit in Sinis quæ damnari Romæ curaverat.* p. 143.
8. *Laudatur Confucius à* P. *de Morales ejúſque Sociis ſuprà quàm debeat.* p. 146.

ERRATA PRÆCIPUA.

PAg. 31. lin. 8. de agimus *lege* de quo agimus. p. 34. lin. 24. ſupponis , *lege* ſupponatur. p. 46. lin. 11. littera *lege* litteram. p. 63. lin. 5. illam *lege* illa. p. 73. lin. 6. hæc verba tolle *hæc verba* , lin. 23. prohibitum , idolo. *lege* prohibitum ; ſic , idolo. p.. 80 lin. 15. & gentilibus *lege* & à gentilibus. p. 105. lin. 11. quæſitorum *lege* quæſitorem. p. 106. l. 7. dilatio *lege* delatio. p. 118 lin. 24. propoſitivum *lege* poſitivum. p. 126. lin. 28. 1699. *lege* 1669. p. 144. lin. 18. duodecimo *lege* duodecimâ. p. 147. lin. 1. educendos *lege* edocendos. p. 152. lin. 23. leges *lege* legi.

EXTRAIT DU PRIVILEGE du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy, donné à Verſailles le 12. Avril 1700. ſigné NOBLET, & ſcellé : Il eſt permis à Nicolas Pepie Marchand Libraire, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé, *Anciens Memoires ſur les Ceremonies de la Chine*, ſeu de Sinenſium Ritibus politicis acta, *contenant pluſieurs Traitez & Pieces tant latines que françoiſes, dont la plupart ont été cy-devant imprimées :* & ce pendant le temps & eſpace de ſix années conſecutives. Avec défenſes à tous Imprimeurs & Libraires & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Livre ſous quelque pretexte que ce ſoit, aux peines & ainſi qu'il eſt plus amplement porté par leſdites Lettres de Privilege.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 15. May 1700.

Signé, C. BALLARD, Syndic.

R. PATRIS

R. P. FRANCISCI XAVERII

PHILIPPUCCII

MISSIONARII SINENSIS

E SOCIETATE JESU,

PRÆLUDIUM

SCRIPTUM ANNO 1682.

AD PLENAM DISQUISITIONEM, An bonâ, vel malâ fide impugnentur opiniones & praxes Miſſionariorum Societatis JESU *in Regno Sinarum, ad cultum Confucii & defunctorum pertinentes.*

PRÆMONITIO DE STATU Quæſtionis.

POſtquàm ad divinam legem prædicandam Patres Societatis JESU ab anno Chriſti 1581. in Sinarum Regnum ingreſſi

ſunt; indefeſſo ſtudio, diuturnis, & improbis laboribus, ſummaque ſedulitate per plurimos annos ad diſcendam Sinenſium linguam, & perfectam characterum, rituûm, ac morum notitiam obtinendam toto niſu incubuerunt: præterea plurimos ubique omnis generis literatos viros fideles juxta, ac infideles ſæpiſſimè, & accuratâ diligentiâ conſuluerunt, eaque omnia, quæ tùm ex eorum reſponſis, tùm ex diuturna librorum Sinenſium lectione hauſerant, longis multorum annorum inter ſe collationibus diſcuſſerunt, ac deniquè ea, quæ controvertebantur, voce, & ſcripto exhibitis in utramque partem argumentis, diù & acerrimè inter ſe diſputarunt; ne quis Gentilis ritûs ſuperſtitioni, vel ſcandalo obnoxius naſcenti Eccleſiæ permitteretur, & ne magno fidei propagandæ impedimento, cultus aliquis prohiberetur licitus. Demùm poſt ſeriam ejuſmodi plurimorum annorum diſſertationem factam à viris in lingua, libris, ac Sinicis moribus verſatiſſimis, qui totam ætatem in hac miſſione, ac ſtudio conſumpſerunt in controverſiarum illarum certas reſolutiones convenerunt, ſuperiorum etiam auctoritate firmatas, quarum praxes ſingulis præſcriptas omnes Miſſionarii Societatis JESU ad hæc uſque tempora in toto Sinarum regno conſtanter obſervant.

In harum reſolutionum pacifica obſervatione ſine ullius obloquentis ſtrepitu perſeverarunt uſque ad annum circiter trigeſimum tertium hujus ſæculi, quo tempore RR. PP.

Frater Joannes Baptiſta de Morales ſacri Ordinis Prædicatorum, & Frater Antonius de Sancta Maria ex ſacra ſancti Franciſci familia Sinenſe regnum ingreſſi, poſt tres quatuorvè annos in ſtudio (qualenam fuerit, poſteà demonſtrabitur) linguæ & rerum Sinicarum impenſos, contra opiniones, ac praxes Patrum Societatis; acrem, ac non ſatis præmeditatam litem moverunt, in qua ulterius promovenda, à quibuſdam eorumdem ſociis uſquè modo viribus contenditur. Præterea idem R. P. de Morales eam ob rem Romam perrexit, & ſacræ Congregationi de Propaganda Fide ſeptemdecim quæſita obtulit, partim circa opiniones, & praxes ſupradictas, partim circa alias, quas ſine ullo fundamento Patribus Societatis affinxit, uti infrà demonſtrabitur; & quamvis in his quæſitis apertè non declaret quæſitor à ſe de his omnibus accuſari Societatis JESU Miſſionarios; conſtat tamen evidenti ratione illos iſtis quæſitis, harum omnium opinionum, & praxium ſupponi, & declarari autores. Primò enim illa quæſita deſumpta ſunt ex quindecim animadverſionibus Hiſpanicè *reparos* P. Fr. Antonii de S. Maria ejuſdem Ordinis in opiniones, & praxes Miſſionariorum Societatis JESU apud Sinas. Secundò eodem tempore, quo illa quæſita Romam ferebantur, vel ad hoc parabantur ex ſollicitatione eorumdem Patrum, Epiſcopi Philippinarum litteris datis anno 1636. ad Urbanum VIII. ſummum Pontificem graviſſimè conqueſti ſunt, de

quibuſdam in rei veritate ſuppoſititiis praxibus Patrum Societatis apud Sinas, quæ cum illis quæſitis prorsùs conveniunt & hi quidem Eccleſiæ Prælati habitâ poſtmodùm magis ſincerâ rerum cognitione, anno ſequenti litteris ad eundem ſummum Pontificem datis, nimis properam accuſationem retractarunt, aſſerendo eam miſſam fuiſſe ex minùs fideli delatione ſibi facta, à non ſatis æquis rerum æſtimatoribus, ideoquè ſibi id religioni ducendo *Patres Societatis à tam indignis querimoniis vindicare, & eorumdem Patrum innocentiæ, & veritatis patrocinium pro virili ſuſcipere*; quæ litteræ his ipſis verbis conſcriptæ poſſunt ad juſtam defenſionem exhiberi. Tertiò idem manifeſtum eſt ex publica per Aſiam, atque Europam ſparſa à dictis Patribus fama, quâ Patres Miſſionarii Societatis JESU fiebant illarum opinionum, atque praxium omnium auctores, de quibus Romæ quæſtiones inſtitutæ fuerunt. Igitur evidens eſt apud omnes nec diſſidentibus ipſis impugnatoribus illa quæſita ſupponere, quod eæ ſint opiniones, & praxes Patrum Societatis JESU, in quas Romana cenſura procurabatur. Quare neceſſe non eſt rem notiſſimam ultra probare, ſcilicet quod opiniones & praxes, de quibus fiunt illa quæſita, Miſſionariis Societatis JESU à quæſitorum auctore imputentur.

Cum verò horum quæſitorum notitia ad has partes perveniſſet, atque inſuper reſponſa approbata à S. Congregatione de Propaganda Fide anno 1645. Miſſus eſt ex parte Societa-

tis P. Martinus Martinius Vice-Provinciæ Sinenſis ad curiam Romanam procurator, qui certiore facto ſummo Pontifice Alexandro VII. & ſacrâ Congregatione de Propaganda Fide, eidem aliquot quæſita de rebus Sinicis ad praxim magis neceſſaria propoſuit. Cum autem hæc quæſita facta ſint cum circumſtantiis, & explicatione rerum longè diverſa ab illa, qua uſus fuerat Fr. Joannes Baptiſta de Morales, ideòque à S. Congregatione accepiſſet reſponſa multò diverſa, hinc ſumptâ perperàm occaſione impugnatores opinionum, & praxium Societatis Jeſu apud Sinas, palam conqueruntur, quòd quæſita P. Martini Martinii mala fide fuerunt propoſita, factâ ſcilicet caſuûm relatione diminutâ, & parùm fideli, veritatiquè contraria; atque inſuper aſſerunt, quòd Patres Societatis Jesu ſequentes reſponſa facta à S. Congregatione P. Martino Martinio malâ fide, adeoque nec tutâ conſcientiâ operentur; voluntquè quod ad ſequenda reſponſa facta R. P. Fr. de Morales ſtrictiſſimè teneantur, utpotè quæ optima fide, & omnimodâ ſinceritate concinnatis quæſitis fuerunt reddita, & à ſummo Pontifice approbata, hoc quoque magna contentione aſſerit R. P. Fr. Dominicus Navarrette in ſua hiſtoria Sinica, in qua quidem Miſſionarios Societatis Jesu apud Sinas ita impetiit ut totum librum calumniis adverſus plures Europæ nationes, ac præſertim contra Societatem implendo, hoc palàm detrahendi ſtudio, plus ſuæ cauſæ,

quàm alienæ famæ apud æquos lectores, detraxerit, ſed de hujus auctoris ſtylo prorsùs intolerabili, & ſupinâ rerum Sinicarum inſcitia integrè, & efficaciter alio loco agetur, ut veritas, & innocentia à ſua propria ſede per ſummam injuriam deturbata ad priſtinum ejus thronum reſtituatur.

Multi jam prodierunt ex parte Societatis tractatus, & Deo dante plures alii prodituri ſunt, in quibus ſolidè, & evidenter oſtenditur eam accuſationem malæ fidei contra quæſita P. Martini Martinii ſuſcitatam eſſe, falſiſſimam. Quod ſi verò aliquis horum tractatuûm clariſſimis probationibus fidem adhibere detrectet, æqui, bonique conſulat ſe ad irrefragabile teſtimonium amandari, ſcilicet ad archivium ſacræ Congregationis de Propaganda Fide, ubi juſtum volumen inveniet, in quo ea, quæ ad quæſita P. Martinii pertinent prolixâ, & fideli narratione referuntur, ex qua deſumptum eſſe compendium, quod in authenticis reſponſis in lucem prodiit; certò conſtabit.

Cum verò nunc quoquè efferveſcente diverſarum opinionum circa eaſdem quæſtiones in Sinica Miſſione ſtudio, in hoc potiſſimum verſetur controverſia, quænam ſit recta, & vera facti relatio, ſive caſuûm propoſitio, ritibus, ac conſuetudinibus Sinarum conſentiens, atque malæ fidei utraque pars adverſam incuſet, ad indagandam radicitus veritatem, quæſtionem ab ovo inſtituere neceſſe eſt. Quapropter in præſenti tractatu,

tanquam in totius controverſiæ prælúdio xaminandum eſt, quâ fide, & veritate R. P. Fr. de Morales, qui in hac materia primus lapidem movit, & vexillum prætulit, ſua quæſita apud Romanam Curiam propoſuerit, & rituûm Sinicorum qui ad illa pertinebant, dec ationem exhibuerit; deinde qualia Sinenſibus Neophitis Romana reſponſa reddiderit, ac demum qualem doctrinam circa eaſdem controverſias libro Sinicè edito docuerit, & quomodò ejus ſocii in hac re eum fuerint imitati.

Ad hæc autem omnia methodicè exponenda tractatus hic in quinque dividitur capita. In primo deſcribitur catalogus 42. falſarum ſuppoſitionum quæ in ſeptemdecim quæſitis à R. P. Fr. de Morales apud Romanam Curiam propoſitis inveniuntur. In ſecundo affertur illorum quæſitorum in Sinicam linguam tranſlatio facta pro Neophytis, & defectus in illa commiſſi oſtenduntur. In tertio, ea quæ in dicta tranſlatione fuerunt omiſſa, declarantur. In quarto mala fides, quâ impugnatur politicus cultus Confucii, & defunctorum, multipliciter confirmatur. In quinto recitatur catalogus variarum propoſitionum, quæ in libris à ſociis Patris de Morales Sinicè conſcriptis inveniuntur. Quibus propoſitionibus efficaciter quoque confirmatur, id quod in hoc tractatu breviter probandum aſſumpſi.

CAPUT PRIMUM.

Catalogus 42. *falſarum ſuppoſitionum quæ in* 17. *quæſitis à R. P. Fr. Joanne Baptiſta de Morales apud Romanam Curiam propoſitis, inveniuntur.*

PRima ſuppoſitio falſa: In quæſito primo falſo ſupponitur à Patribus Societatis Jesu à Sinicæ Miſſionis initio, jus poſitivum circa feſta, jejunia, confeſſionem, & communionem annuam abſolutè non fuiſſe Neophytis publicatum. Etenim hæc omnia paulatim & ſuaviter ab ipſo Miſſionis initio Neophytis publicata fuerunt à Miſſionariis Societatis Jesu, tum libellis, & annuis Kalendariis publicè excuſis, eo ferè modo, quo in Europa quotannis vulgari ſolent, tùm etiam publicis, ac privatis exhortationibus, quibus conſuetudo ſervandi Eccleſiæ præcepta in hanc naſcentem, teneramque adhuc Eccleſiam ſenſim introducebatur, horum publicum, & authenticum teſtimonium præbent Kalendaria ſingulis annis à Patribus Societatis in Regno Sinarum typis vulgata, in quibus notata erant feſta, & jejunia, quæ Eccleſia à fidelibus præcipit obſervari; & quoad confeſſionem & communionem annuam extat perpetua publicatio in libro doctrinæ Chriſtianæ, quem Sinicè vocant . . .

Tien

Tien . . . chu . . . Kiao . . . yao qui liber in lucem prodiit operâ P. Michaelis Rogerii, ab ipſis Miſſionis Sinicæ primordiis, & omnium paſſim Neophytorum manibus attrectatur. Præterea in libris divulgatis, in quibus continentur puncta ad examinandam conſcientiam in ordine ad confeſſionem ſacramentalem expreſsè declaratur peccatum eſſe ſupradicta Eccleſiæ præcepta non ſervare, adeoque Neophytos ad illorum præceptorum obſervantiam teneri. Quæ cum tam publica ſint apud Sinas, & manifeſta omnibus veritatis teſtimonia, immeritò nec ſine magna injuria ſupponitur à quæſitore dictum jus poſitivum à Patribus Societatis Jesu, non fuiſſe Sinenſibus abſolutè publicatum.

Hic verò mirandum magnoperè videtur, R. P. Fr. de Morales, qui eam Patribus Societatis finxit accuſationem, in ſimilem culpam, quam in aliis ſine fundamento carpere volebat, poſtmodum palam, & in omnium conſpectu incidiſſe: etenim cum in reſponſionibus ad ſua quæſita, novum datum eſſet ſedis Apoſtolicæ præceptum de jure poſitivo, circa ſupradicta Sinenſibus promulgando, adeoque Sinenſibus Neophytis declarare debuiſſet, illius juris poſitivi obſervationem cadere ſub præceptum, ipſe in propria verſione illarum reſponſionum in Sinicum idioma, tantummodò affirmavit, ſupradicta præcepta ſervare *convenire*, ſeu decere, uti infra oſtendetur; ideoque hoc ad conſilium, non autem ad præceptum pertinere declaravit.

Secunda. In quæſito ſecundo falsò ſupponitur à Patribus Societatis Jesu abſolutè non adminiſtrari mulieribus Sinenſibus ſacramentum extremæ-unctionis, notum etenim omnibus, & exploratum apud Sinas, eoſdem Patres datâ tantùm *gravi neceſſitate proportionatâ* id olim omiſiſſe,& adhuc omittere. Id quidem olim egerunt ſolidæ innixi Theologorum doctrinæ: nunc verò eandem praxim approbatam per reſponſa ad quæſita P. Martinii Pontificio decreto firmata, obſervare ſine ſcrupulo, aut periculo calumniæ non deſiſtunt. Cum igitur prædictam praxim Patres Societatis in Sinis eodem ſemper modo ſupradicto ſervaverint; cur quæſo quæſitor ſuo generali quæſito tacitè accuſat quaſi paſſim mulierum unctionem extremam Sine diſcrimine omitterent.

Tertia. In eodem quæſito ſecundo falsò ſupponitur, Patres Societatis Jesu quaſdam ſacramentales ceremonias omittere in baptiſmo mulierum, & abſtinere in earum infirmitatibus ab extremæ unctionis collatione, ſolùm ex motivo zeli Sinenſium erga ſuas mulieres, & ſcandali ex dictis actionibus ſecuturi. Nam ratio omittendi ſaltem interdum unctionem mulierum in iis circumſtantiis, de quibus ſupra, & prætermittendi aliquas ceremonias baptiſmi, quas adfert quæſitor, non eſt adæquata, nec principalis: cùm præcipua ratio ſit, quod tota Eccleſia Sinica aliter evidenti periculo totalis ruinæ exponeretur: inde enim naſcerentur graviſſimæ gentilium

calumniæ, perturbationes , & perſecutiones ſævillimæ , uti frequens ipſorum impugnantium experientia oſtendit , ob quam , Patrum Societatis plerumque ſequi praxim coguntur , quam anteà damnabant.

Quarta. In quæſito tertio falsò ſupponitur in Sinarum Regno lege ſtatutum eſſe , ut in mutuo 30. pro 100. accipiantur , abſque reſpectu periculi ſortis , lucri ceſſantis , & damni emergentis. Certum eſt enim Sinenſes etiam infideles lumine naturali cognoſcere malum eſſe,majus quàm æquum eſt,lucrum ex pecunia alteri ad uſum tradita , recipere ; & ſi quis in exigendo lucro limites æquitatis tranſcendat exoſus fit omnibus , & digito notatur. Quæso lex illa Sinenſis , de qua agit quæſitor , quæ nullibi in Sinis hactenus apparuit , ad quæſiti illius veritatem tuendam è latebris in lucem aliquando eruatur.

Quinta. In eodem quæſito falsò ſupponitur in regno Sinarum alium modum fænerandi pecuniam non haberi , niſi ex ſolo motivo mutui cum aliquo periculo ſortis ; etenim ratio lucri ceſſantis , & damni emergentis in omnibus nationibus nota , non eſt incognita Sinenſibus , quod eſt hominum genus inter omnes nationes eximiè acutum , & perſpicax in eo , quod pertinet ad lucrum. Namque Sinenſes : quod dictu incredibile videbitur , in unius quadrantis ærei diviſione , diligentiam vincunt mathematicorum , qui gradus dividunt in prima , ſecunda , ac tertia minuta nummum enim æreum in 10. partes

dividunt, & ſingulas illarum in alias decem; iterum, atque iterum diſtinguunt, & in menſuris rerum, quas vendunt, uſque ad numeranda ſingula grana deſcendunt; unde ſatis colligi poteſt quòd res adeò nota, quale eſt lucrum ceſſans, & damnum emergens, acutiſſimam illam, & faſtidioſam in contractibus Sinarum perſpicaciam nullo modo poſſit effugere.

Sexta. Ibidem falsò ſupponitur Neophytos Sinenſes à noſtris Patribus non fuiſſe edoctos quibus titulis aliquid ex commodata pecunia licitè accipere poſſent: falſitas hujus ſuppoſitionis evidenter probatur ex eo, quod Patres Societatis ab ipſo Miſſionis initio Neophytos Sinenſes edocere cæperunt lucrum ex mutuo, ſine titulo periculi ſortis, aut lucri ceſſantis aut damni emergentis eſſe illicitum, atque inſuper aliud, quod his titulis non eſt proportionatum. Teſtis eſt liber P. Michaëlis Rogerii, cui titulus eſt veridica S. legis inſtitutio cap. 14. pag. 33. facie 2. verſiculo 7. & 8. hic liber typis datus eſt anno Domini 1584. & Imperatoris *Van lie* à Sinis *Kia xin* noncupato, qui annus erat quartus à Patrum Societatis ingreſſu in regnum Sinarum. Teſtes inſuper ſunt multi alii libri ſucceſſivè à dictis Patribus editi, in quibus explanando decem Dei præcepta, ea quoque quæ ad uſuram pertinent, fusè, & accuratè explicantur. Unde ſatis patet, quàm parum perſpectis rebus, & neglectâ librorum noſtrorum lectione conſcriptis tumultuariè quæſitis R. P.

Frater de Morales Romam provolarit.

Septima. In quæſito quarto falsò ſupponitur, in regno Sinarum, illas domos, ubi accepto pignore pecunia fœneratur, & lucrum exigitur ex genere ſuo, & abſolutè eſſe uſurarias; etenim ſi in receptione lucri juſtitia ſervetur, & in venditione pignoris, tantum recipiatur quantum debitor ex juſtis titulis debet, quâ ratione harum domuûm Domini pro uſurariis haberi poſſunt?

Octava. Falsò ſupponitur ibidem illos Sinenſes, qui in dictis domibus pecuniam fænerant, ad id agendum judicis auctoritate compelli. Nam unicuique liberum eſt talem negotiationem exercere, vel ab ea ceſſare, neque poterat tale quid aſſerere R. P. de Morales, niſi fortè iis paucis annis, quibus in Sinis fuerat domi ſeſe continuiſſet, ac conſuetudinum totius regni Sinici notitiam acquirere neglexiſſet.

Nona. Falsò ſupponitur in eodem quæſito, horrendè ſupina in Patribus Societatis ignorantia, quaſi verò putent licitum eſſe frangere jus divinum uſuram exercendo, dum quis à Principe compellitur ad illam exercendam. Profectò ſi hæc intoleranda in quantumvis novello diſcipulo Theologiæ imperitia, cujus tot inſignes viros tacitè inſimulat quæſitor, à Patribus Societatis in minimo ſociorum R. P. de Morales argueretur injuriam eſſe cenſerent ferro, & flammâ delendam.

Decima. Falsò ſupponitur ibidem, Sinicum hunc loquendi modum . . . . *fam* . . *li* . . .

cien ex ſe ſignificare, *dare pecuniam ad uſuram*; cum revera generaliter ſignificet dare pecuniam ad lucrum, vel per uſuram, vel ex aliquo juſto titulo recipiendum. Ex hac autem Sinica phraſi perperàm intellectâ, quæſitor in ſuo tertio, quarto, & quinto quæſito tacitè arguit Neophytos Sinenſes quaſi uſuram ſine ſcrupulo conſcientiæ exerceant, Miſſionarios verò Societatis, quaſi illam ſuis Neophytis permittant, in quo videre licet, ad quam famæ reſtitutionem quæſitor teneretur.

Undecima. In ſexto quæſito falsò ſupponitur, immò urbs, & orbis ad huic falſæ ſuppoſitioni credendum allicitur nempe Patres Societatis non rectam Sinenſes Neophytos edocere doctrinam, circa id, quod agere debent in contributionibus, quæ ab eis exiguntur ad communem populi feſtivitatem ſive illicitam, ſive indifferentem, ad hanc falſam ſuppoſitionem penitùs explodendam ſufficit exhibere plurima, & exactiſſima circa hanc materiam quæſita ad R. P. noſtrum Generalem à Patribus noſtris olim è Japonia miſſa, & Romæ alibique diligenter à celeberrimis eo tempore Theologis diſcuſſa, & reſoluta: hinc enim planè conſtat, quo ſtudio, ac ſedulitate in his; & ſimilibus caſibus Patres Societatis ſe gerant, non verò temerariè, & ſine conſcientia, uti ex ſuppoſitione quæſitoris ſequeretur.

Duodecima. In ſeptimo quæſito falsò, & admodum injurioſè ſupponitur Patres Socie-

tatis Neophytis Mandarinis, ſive Magiſtratibus permiſiſſe, ut fanum idoli *Chim Hoam* adirent, ibique nefariâ ſimulatione, exterius quidem reverentiam idolo exhiberent, occultè verò ſecum allatam crucem adorarent. Cum publicè notum ſit, in toto regno Sinarum Patres Societatis ne per umbram quidem tam abominabile factum permſiiſſe ſuis Neophytis; quiſque ponderet, quàm ſit atrox illa in Societatem injuria, dum per tale quæſitum, tam intolerabilis inſcitia, aut conſcientia deſperata Patribus Societatis imputatur: Quaſi verò tam longa ſuperaſſent maria non ut alios ad Cælum manuducerent, ſed ſecum diſſimulatâ in illis idololatriâ in infernum pertraherent, neque dici poteſt R. P. Fr. de Morales ex ſumma Theologiæ ignorantia tale quæſitum propoſuiſſe Curiæ Romanæ, ad quod reſolvendum, novellus quilibet Theologus ſuffeciſſet; ſed è contra manifeſtum eſt ex probatis in præloquio, Patres Societatis, tanquam id ſtolidè, vel potiùs, perfidè permittentes perſtringere, & toti Orbi digito monſtrare voluiſſe.

Decimatertia. In octavo quæſito falsò ſupponitur Confucius à Sinis tanquam vir ſanctus exiſtimari, & ſecundum hanc ſanctitatis formalitatem ab iiſdem coli. Hæc falſa ſuppoſitio in voce Sinica *Xim* . . . . tota innititur, perinde ac ſi iſta vox ex proprio, & communi Sinenſium ſenſu ſanctitatem ſignificet, eo modo, quo vox latina *ſanctus*, vel *ſanctitas*, in Eccleſia Catholica ſumitur; debebat ſanè au-

ctor quæſitorum advertere, hanc vocem *ſanctus*, ut alias plures voces latinas ab Eccleſia aſſumptam fuiſſe ad ſignificandam veram, perfectam, & ſupernaturalem ſanctitatem; hæc autem ſignificatio ante talem aſſumptionem, non inerat voci *ſanctus*, ut ex antiquis authoribus, ac theſauro latinæ linguæ evidenter conſtat. Eodem autem modo per Evangelicos Prædicatores in Sinis, & per ipſos Neophytos vox *Xim* aſſumpta eſt ad ſignificandam Sinico idiomate veram, perfectam, & ſupernaturalem ſanctitatem, de ſe autem hæc vox Sinica talem ſignificationem non habet, uti in vocabulariis, ac libris Sinicis clarè perſpici poteſt; de quo rurſum capite 3. agetur.

Decimaquarta. In eodem quæſito falsò ſupponitur aulam, in qua à litteratis Sinenſibus ſuus magiſter Confucius honoratur, templum vocari debere. Hujus ſuppoſitionis manifeſta falſitas ad evidentiam oſtenditur, in pluribus tractatibus, ubi ſenſus Sinenſis litteræ . . . . *miao* minutiſſimè exquiritur, & explicatur; ibique graves, & non pauci lapſus aliquorum hanc litteram malè explicantium referuntur; hic autem breviter annotare juvat; id quod noviſſimè R. P. Franciſcus Varus Ordinis Prædicatorum, in explicatione hujus litteræ *Miao* univerſaliter pronuntiat, hiſce verbis ex Hiſpanico in latinam linguam converſis. *In nullo libro Sinico invenietur, quod hæc littera Miao Imperatoris palatium, ſive aulam ſignificet.* Ne plurimos textus Sinenſes hic, contra quam

exigit

exigit brevitas hujus catalogi, congeramus, vocabularium unum in medium afferre ſufficiat, cui nomen . . . . *Chim* . . . . *Cu* . . . . *tum* ibi in explicatione litteræ *Miao* ſic habetur.

. . . .

Id eſt omnis regii palatii pars anterior, & magna quorumdam Præfectorum aula, ut vocant audientiæ Miao, vocantur. Hinc apparet, quàm cautè univerſales propoſitiones ſint pronuntiandæ, præcipuè in materiis parùm ſibi notis. Ad majorem autem ſupradictorum evidentiam notandum eſt, dictam Confucii aulam in Imperatoris diplomatibus communiter vocari . . *Tay* . . . . *Hio. Id eſt magnum Gymnaſium* ſive . . . . *Quoe* . . . . *Hio, id eſt Regni gymnaſium.* Aulas autem ejuſdem Confucii in ſingulis urbibus vocari . . . . *Fù* . . . . *Hio, id eſt urbis gymnaſium*, hoc autem nomen omnibus, & ſolis Confucii aulis convenit, & nullo modo Idolorum delubris.

Decimaquinta. In eodem quæſito falsò ſupponitur, munera politica à Sinenſibus litteratis oblata Confucio eſſe ſacrificia, ideoque actiones illicitas, & Idololatricas. Sacrificii ſive liciti, ſive illiciti definitio ſcholaſtico rigore diſcutiatur, eaque conferatur cum ritu munera offerendi Confucio, uti apud Sinas eſt in uſu, & in illorum explicatur libris, clarèque conſtabit definitum cum definitione in materia nullatenùs cohærere; de hac re plures habentur tractatus, in quibus ſententia politici cultûs erga Confucium ſolidè pro-

batur, & ab omni ſuperſtitionis ſuſpicione, cultus ille vindicatur. In illis quoque perſpicuè diſolvuntur impugnantium objectiones, & eorum lapſus demonſtrantur. Præterea in ſecundo, & quarto capite hujus Tractatûs iterum hoc diſtinctè diſcutietur.

Decima ſexta. In eodem quæſito falsò ſupponitur illos præfectos Sinenſes, qui Confucio munera offerunt Sacerdotis officium gerere. Priùs probandum ſolidè eſſet à quæſitore, fieri à Sinenſibus ſacrificia Confucio, quàm Præfectos appellare ſacerdotes. Ubi enim non datur ſacrificium, nec ſacerdos ſacrificans invenitur.

Decima ſeptima. In eodem quæſito falsò ſupponitur capram integram, candelas, vinum, flores, odores Confucio à litteratis oblata, eſſe victimas, & hujuſmodi oblationes eſſe ſacras; itidem genuflexiones ante ejus nomen in tabula deſcriptum, eſſe religioſas. Hæc enim eadem viventis Imperatoris nomini in tabula deſcripto, Præfectis magiſtratum adeuntibus, hoſpitibus in conviviis, & abſentibus benefactoribus adhuc vivis à Sinenſibus offeruntur, ſine umbra intentionis rem ſacram peragendi, de quo vide infra dicenda cap. 2. art. 2.

Decima octava. In eodem quæſito falsò ſupponitur, quod litterati Sinenſes in ritu honorandi Confucium, cæremonias ſupradictas cum hac intentione perficiant, ut ab eo impetrent ex ipſius meritis optimum ingenium, & magnos in acquirenda ſapientia progreſſus.

Hoc manifeſtè refellitur ex antiquis , & modernis libris Sinenſium , & ex communi litteratorum opinione , & praxi , quæ omnia in propriis tractatibus fusè explicabuntur. Quod ſi quis fortè Sinenſium aliter operetur , contrà communia ſapientiorum Sinenſium placita peccat , & illorum ſe exponit irriſioni.

Decima nona. In eodem quæſito falsò ſupponitur poſt munera oblata Confucio ab aſſiſtentibus aliquid accipi de idolothytis , & oblationibus ; exiſtimantibus illis infidelibus , quod quicunquè manducaverit ex talibus idolothytis magnum in litteris , & gradibus obtinendis ſucceſſum ſit habiturus , certum eſt , quod ubi non datur idolum , nec datur idolothytum : Proferantur quæſo auctores Sinici qui talia affirment ſomnia , quæ neſcio ubi repererit R. P. de Morales,niſi fortè in quibuſdam vulgi quiſquiliis , quorum nemo palàm tale quid proferre audeat , quod communiter ab omnibus litteratis non explodatur. Alibi referetur , rerum Confucio oblatarum diſtributionis intentio ; & quomodò , dum illæ pro omnibus aſſiſtentibus non ſufficiunt , ex aliis rebus Confucio non oblatis ſuppleantur. Vide infrà cap. 2. art. 2.

Vigeſima. In eodem quæſito falsò ſupponitur non ſine graviſſima in Patres Societatis injuria , quod illi doceant litteratos , ſive præfectos Chriſtianos portando crucem in manibus licere hos venerationis actus erga Confucium exercere ad vitandos tumultus , Miſſionariorum exilium , & rei Chriſtianæ

apud Sinas excidium. Iſta ſimulatio, ſi Confucii cultus eſſet illicitus, intolerabilis planè, & ſtultiſſima videretur, ejuſque permiſſio non eſſet tam facile ſine ullo fundamento in Patres Societatis rejicienda, quaſi doctrinam adeò nefariam docerent. Cum vero iidem Patres cultum Confucii merè politicum, demptis ſuperſtitioſis, Neophytis permittant, evidenter apparet ridiculum eſſe commentum dicere, quod illis geſtandam occultè Crucem pro excuſando ritu prorſus in ſe licito ſuadeant.

Vigeſima prima. In eodem quæſito, in quo per tot modos jam allatos falsò ſupponitur illicitus cultus Confucii apud Sinas uſitatus, aliud cæteris longè deterius falſum ſupponitur, & ſtabilitur, nempè quod propter prætextus numero antecedenti relatos Patres Societatis ſinant Neophytos prætergredi illud communiſſimum, divinumque axioma, ſcilicet *non eſſe facienda mala, ut eveniant bona.* Deus immortalis, quis æquo animo tam enormem calumniam poſſit ſuſtinere? per hanc enim falſiſſimam ſuppoſitionem hæreticis antiquis, & modernis, Atheorum politicorum ſectatoribus aliquomodo comparamur, quibus familiare eſt Deo ſimulatum cultum exhibere, & nullum re ipſa Deum agnoſcere, niſi proprii corporis commodum; Cujus tam peſtiferæ, ac Tartareæ doctrinæ, ſi non magiſtri, ſaltem publici permiſſores à quæſitore efficimur. Profectò cum profeſſus ſit, ſe iter ad Romanam Curiam aggredi, ut ſe ſcrupulis conſcientiæ liberaret, mirùm prorſus eſt de his enormibus

calumniis nullum conſcientiæ ſcrupulum habuiſſe, niſi forte ex ſtudio quærendi feſtucam in oculo fratris, ingentem trabem non ſenſerit in ſuo.

Vigeſima ſecùnda. In nono quæſito circa cultum Sinarum erga ſuos majores defunctos falsò ſupponitur. Aulas, ubi iidem defuncti honorantur, verè eſſe *Templa*. Probandum priùs fuerat, progenitores defunctos, tanquam Deos, ſive idola à Sinenſibus adorari: Etenim ad rationem Templi vel fani abſolutè requiritur, ut locus ſit ad adorationem ejuſmodi deſtinatus. In pluribus & amplis tractatibus jam demonſtratum eſt, ac poſtmodùm rurſùm demonſtrabitur cultum defunctorum apud Sinas eſſe politicum, & eorum Aulas pro civilibus domibus computari, hic verò advertere ſufficiet nomen, quo ſæpè hanc Aulam Sinenſes appellant ſcilicet . . . . *ſu* . . . . *tam*; *id eſt memoriæ aula*, quâ locutione tantummodò ſignificare volunt locum ad perpetuandam progenitorum memoriam erectum. Videatur liber Sinicus nomine . . . . *cem* . . . . *pu* . . . . *yeu* . . . . *hio* lib. 1. pag. 3. & 4.

Vigeſima tertia. In eodem quæſito falsò ſupponitur munera defunctis à Sinis oblata eſſe *ſacrificia* quàm autem hoc ſit falſum, jam pluribus tractatibus per textus Sinicorum librorum, & rationes Theologicas manifeſtè probatum fuit, harum rationum ſummam vide infra cap. 2. art. 1.

Vigeſima quarta. In eodem quæſito falsò ſupponitur menſam in qua dicta munera col-

locantur eſſe *altare* falſitas hujus ſuppoſitionis evidenter patebit; ſi talis menſa bene expendatur, & quoad nomen & quoad rem, quoad nomen eadem voce illa menſa apud Sinas nominatur, quâ cæteræ menſæ communes, ut cap. 2. infra oſtendetur; quoad rem verò, cùm ſoli Deo vel vero, vel falſo altaria erigantur, in quibus victimæ immolentur in ſacrificium, & religioſi ritus peragantur, quo fundamento illæ menſæ altaria vocabuntur, cùm in illis nulla fiant, nec vero Deo, nec falſo ſacrificia? Præterea in Similibus menſis plurium decadum numero per vias, & plateas ritè compoſitis ad amicos, & magnates comitantibus inſtrumentis muſicis munera, officioſa nuptialia, &c. Plerumque apud Sinas aſportari ſolent, & cum genuflexionibus offerri, an verò omnes illæ menſæ altaria vocabuntur? juxta principia R. P. Fr. de Morales difficile non eſſet variis rationibus oſtendere Sinenſium vulgaria munera inter vivos mutuò exhibita eſſe *ſacrificia*, intervenire *ſacerdotes*, *victimas* apponi ſuper *altaria*, & viva *Idola* à Sinenſibus adorari, non tot quin plura quod quàm ſit abſurdum ſatis ex ſe perſpicuum eſt, nec ratio brevis catalogi patitur id pluribus oſtendere: duo tamen exempla breviter attingere non prætermittam. Tartaris in Imperio Sinarum nunc dominantibus in uſu eſt, ut ante celebriora convivia coram hoſpitibus boves, capræ, &c. adhuc viventes adducant ibique honoris gratiâ ante illos mactentur, eiſdem reverenter offerantur:

his peractis carnes in fruſta diſſectæ ad parandum convivium efferuntur. Item ſolent Sinenſium liberi in die natali parentum adhuc viventium, vel dum contrahunt matrimonium coram parentibus, & natu majoribus ibi aſſiſtentibus in genua procidere, ibi calicem manibus ſumunt, elevatis deinde in altum manibus ſubmiſsè offerunt, ac deglutiunt. Evacuatis denique calicibus pronâ in terram facie, eis venerationem, ac honorem ſolitum exhibent; quis autem non admiretur, quod eædem actiones eadem intentione, & erga parentes vivos exhibitæ clarè, & indubitanter politicæ judicentur, nec ullam ſuſpicionem cultûs ſuperſtitioſi adferant; exhibitæ verò mortuis parentibus in grati animi ſignum tanquam ſuperſtitioſæ ſacrilegæ, & idololatricæ à quæſitore condemnentur? reliqua reſervantur ad fuſiores tractatus ſupra ea, quæ breviter rurſum infra dicentur. Cap. 2.

Vigeſima quinta. In eodem quæſito falsò ſupponitur, quod ille qui offert munera defunctis, eſtque familiæ caput, *ſacerdotis* fungatur officio, & ejus auditores, qui ad libitum eliguntur, ſint *ſacerdotis miniſtri* qui alibi ab aſſeclis R. P. de Morales etiam *Diaconi*, & *Subdiaconi* immeritò, ne dicam audacter vocantur. Cum falsò ſupponat quæſitor, quod illa munerum oblatio ſit ſacrificium, mirum non eſt, quod in hunc alterum errorem ex priori conſequentem impingat, quæ omnia fusè, & clarè alibi refutabuntur.

Vigeſima ſexta. In eodem quæſito falsò

ſupponitur Candelas, flores, odores, carnes, vinum, capita caprarum eſſe *victimas ſacrificii* cætera verò eſſe ſacras oblationes, quæ à Sinenſibus cultu latriæ ſuis defunctis exhibeantur. Heu! quid miſeris Sinenſibus Chriſti cultum amplecti volentibus fiet? quorum ſcilicet plerique ritus manifeſtè politici, & in vulgaribus conviviis in gratiam hoſpitum adhiberi ſoliti; quæſitoris judicio idololatriæ condemnantur. Audivi olim virum honeſtum Luſitanum, qui legatum Luſitaniæ Regis ad Aulam Pekinenſem comitatus fuerat atteſtari, ſe in ſolemnibus legato exhibitis conviviis vidiſſe, integrum caput caprinum immanè, & horrendè bicorne honoris causâ menſis adhibitum. Profectò in ejuſmodi conviviis non modo caput caprinum, ſed & alia ſuperius allata in hoſpitis honorem adhibentur, quæ ſi vivis oblata non movent idololatriæ, aut ſuperſtitionis ſcrupulum, eò quod intentio ſit præcisè honorandi, nec movere quoque debent defunctis eadem intentione, eodemque ferè ritu oblata. Vide de his plura cap. 2. art. 1.

Vigeſima ſeptima. In eodem quæſito falsò ſupponitur, quod in dictis ritibus Sinarum intentio dirigatur non ſolum ad reddendam ſuis progenitoribus gratiam ob beneficia ab eis accepta, ſed etiam ad nova ab illis obtinenda, quæ his ritibus aſſequi ſperant, ſi ſingulæ Sinenſium ſectæ percurrantur, in unaquaque illarum hæc ſuppoſitio falſa eſſe invenietur. Etenim plurimi Sinenſes, ac præcipuè ex litteratis negantes animæ immortalitatem

nihil

nihil poſſunt à defunctis ſperare, cùm poſt mortem nihil niſi putridum cadaver ſupereſſe putent, alii plurimi putant dari fatum; & expreſsè negant aliquod bonum, malumvè aliundè poſſe provenire. Hujus erroris præcipuus auctor eſt ipſemet collector Ritualis de rebus funeralibus. Denique qui apud Sinas ſunt idololatræ pro ſuis defunctis idola deprecantur, ut eorum animas ab inferorum ſuppliciis eruant, ideoque toti ſunt in procurando defunctis ſolatio, non in ſperando ab eis auxilio; quo igitur fundamento contra omnium Sinarum opinionem dici poteſt, quod illi à ſuis defunctis aliquod ſperant ſubſidium.

Vigeſima octava. In eodem quæſito falsò ſupponitur, quod Sinenſes ante menſam, quam quæſitor malè vocat *Altare* defunctorum, deprecationes multas faciant, poſtulantes ſanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, & ut ab omnibus iniquis caſibus liberentur. Hæc ſuppoſitio omninò deſtruitur axiomate apud litteratos univerſim recepto, quod petere à majoribus defunctis eſt contra obſequii filialis perfectionem, ad quod probandum plures Sinici textus ab illis proferuntur, manifeſtè oſtendentes nihil peti ſolere à defunctis. Illæ autem orationes, quæ in ritibus funeralibus ex ſcripto leguntur, nomine, & re, ſunt verè funebres, & panegyricæ orationes, variis commiſerationis affectibus mixtæ, & multis rethoricis figuris exornatæ, demùm puris cære-

moniis, ſeu politicis officiis ad honorem defuncti exhibendum ordinatis ad faſtidium uſque, juxta Sinicum morem ſunt refertæ. Quæ autem in quæſito poſtulationes appellantur, ſunt fauſtæ acclamationes, & nihil amplius; quæ etiam in conviviis purè politicis adhibentur, uti videri poteſt in libro claſſico . . . . *Xi* . . . . *Kim* dicto.

Vigeſima nona. In decimo quæſito falsò ſupponitur, quod in Regno Sinarum ſoli Chriſtiani aſſeverent, quod in oblationibus ſupradictis ſolummodo intendunt progenitoribus ſuis defunctis illam exhibere reverentiam, & illa offerre munera, ac ſi iiſdem viventibus exhiberentur, idque in memoriam tantùm, ac reverentiam progenitorum, & generationis, & ſi illi vivi extitiſſent eadem illis præſentarent, ut illis oblatis veſcerentur, vel ſuſtentarentur & ea offerunt abſque alia intentione, vel rogativarum ſpe, cùm ſciant illos mortuos eſſe, eorumque animas in inferno ſepultas. Hactenùs quæſitum. Hæc omnia, & ſingula, exceptâ ultimâ clauſulâ ſunt ipſa Sinarum antiqua, & univerſaliter in toto regno recepta dogmata, hæc eſt doctrina Confucii illorum magiſtri, cui ſi quis non adhibeat fidem in graviſſimas leges Sinicas peccare cenſetur. Quomodo igitur R. P. de Morales potuit in Curia Romana aſſerere contrà tam evidentem veritatem, hanc tantummodo Chriſtianorum opinionem eſſe. An fortè id fecit, ut à ſacra Congregatione, & ab omnibus Theologis damnarentur Patrum Societatis Sinenſes Neo-

phyti, quaſi verò velint ſuo paucorum numero, novo affirmato antiquis cæremoniis ſenſu cæterorum penè innumerabilium Sinarum, contrarium ab antiquo ſenſum pervertere, & abolere? eaque ratione ritus Sinicos circa defunctorum cultum ex ſe malos fucatâ boni ſpecie contegere, ut ſibi permittantur? hoc enim modo contra eos inſurgebat hoc argumentum. Non poteſt paucorum hominum privatus ſenſus, & intentio contrariam totius vaſtiſſimi populi intentionem, & ſenſum immutare, aut ei derogare. Ergo pauci Chriſtiani reſpectu innumerabilium Ethnicorum non poſſunt cultum defunctorum per ſe malum, & illicitum per ſuam de novo affictam rectam intentionem permutare, & licitam efficere. Quidquid ſit de hoc argumento, & in quo ſenſu rectè concludat, æquiùs ſanè, & ut illum decebat, ſe habuiſſet quæſiti auctor ſi debitâ fide retuliſſet ſupradictam de cultu defunctorum doctrinam non eſſe tantummodo Chriſtianorum, ſed eſſe toti Sinarum regno communem, atque inſuper dari graviſſimam neceſſitatem permittendi Neophytis, ut ſe regni antiquis conſuetudinibus accommodarent; excluſis tamen ſuperſtitioſis opinionibus, & actionibus, quæ proceſſu temporis dictis politicis ritibus à quibuſdam permixtæ fuerunt. Quod ſi fortè (ut eum non accuſemus tantæ infidelitatis) ignoravit quæſitor hanc eſſe regni antiquiſſimam, ac communem doctrinam, quam ſolis Chriſtianis hic falsò tribuit, profectò non debebat ſine perfecta

Sinicorum rituûm, atque doctrinæ notitia hæc quæſita nimis properè Romam deferre cum evidenti periculo, nec plantatam tot alienis laboribus Eccleſiam uſque deque evertere. Quoad verò poſtremò citatam quæſiti clauſulam, ſcilicet, ſcire Neophytos ſuorum progenitorum animas in inferno ſepultas: quidquid ſit de univerſali hujus propoſitionis veritate. Ex politico rituali Sinico conſtat Sinenſes in cultu defunctorum ab eorum probitate, vel improbitate præſcindere. Horum omnium, de quibus hic actum eſt Sinicus textus alio loco proponetur.

Trigeſima. In eodem quæſito falsò ſupponitur tabellam illam, quâ Sinenſes ad memoriam ſuorum progenitorum defunctorum utuntur, & in qua nomina ipſorum deſcripta ſunt à Sinis vocari *animæ ſedem*, falſiſſima eſt iſta ſuppoſitio. Inſcriptio enim in tabella poſita (Si ſapientioribus Sinenſibus, eorumque libris fidem habere velimus) nihil tale ſignificat, plurimi textus Sinici adducuntur, pro his omnibus ſequens textus modo ſufficiat.

. . . .

. . . .

Id eſt, *Tabella eſt defuncti repræſentatio*; *filius obſequens poſtquam Patrem ſepelivit*, *ejus cor* (*ſive defuncti parentis memoria*) *ubi innitatur aut affigatur non habet*, ideo finito ritu, quem *yu* vocant, erigit tabellam ad ſuum parentem defunctum honorandum. Ita Sinicus litteratus nomen . . . . *Hiù* . . . . *Xim* in libro cui titulus

eſt . . . . *V* . . . . *Kim* . . *y* . . *y* Hic auctor floruit ſub imperiali familia . . . . *Heù* . . . . *han* dicta, cujus initium in annum incidit 235. poſt Chriſtum natum, ideoque non eſt Neotericus auctor; Sinicos libros volutando 30. diverſa nomina, quæ alibi cum ſua explicatione referuntur, hujus tabellæ hactenus reperi, quæ omnia defuncti repræſentationem ſignificant, nec obſtat, quod hæc tabella ſæpè vocetur . . . . *lim* . . . . *guey*, vel . . . . *xim* . . . . *guey*, nam illa littera *lim* in illa phraſi non ſignificat *animam intellectivam*, & littera *xim* in dicta phraſi non ſignificat *ſpiritum*, ſed utraque littera in relatis phraſibus ſignificat defunctum. Item littera *guey* in illa phraſi non ſignificat *ſedem*, ſed repræſentationem, ſive rem ad aliud ſignificandum *ſubſtitutam*, hoc præcipuè patet ex communi uſu Sinarum erigendi, & appendendi in parietibus tabulas, ſive epitaphia, ubi viventium benefactorum nomina inſcribuntur, vocanturque hæc epitaphia . . . . *ſem* . . . . *guey*, id eſt *viventium hominum* repræſentatio. Quod ſi verò juxta voluntatem, & opinionem R. P. Fr. de Morales hæc phraſis *ſem guey* explicaretur, ſenſus eſſet quod illa tabella eſſet *viventium hominum* ſedes, quod quàm ſit ridiculum, & intolerabiliter abſonum ſatis per ſe patet, cùm Sinenſes non ſint tam bruta animantia, quin evidenter illis conſtet homines vivos in illis tabellis appenſos non eſſe, nec eſſe poſſe. Hæc ſolùm breviter hic attigiſſe ſufficiat; alibi ex plurimis textibus li-

brorum Sinenſium hæc veritas evidenter probatur, itaut nullus dubitationi locus relinquatur; ibidem ſolvuntur leves quædam objectiones, quæ ut plurimum ex malè intellectis libris Sinicis, ac ritibus enaſci ſolent, & ſi qui textus Sinenſes in ſpecie videntur favere falſæ ſuppoſitioni, ſana explicatio aliorum Autorum Sinenſium lectione contigit, ut ſibi viderentur Sinici textus utrimque pugnare ſcilicet pro mendacio, & veritate in hac perplexitate ſuâ potiùs ei erat amplectenda veritas, quod ſcilicet ea tabula eſſet defuncti repræſentatio juxta Sinarum opinionem, quàm ſequendum mendacium.

Trigeſima prima. In eodem quæſito falsò ſupponitur Sinenſes exiſtimare animas defunctorum venire, & aſſiſtere in dictis tabellis ad recipienda falsò ſuppoſita ſacrificia, & oblationes, Hæc ſuppoſitio ex antiqua Sinarum doctrina probari non poteſt, plurimique moderni auctores Sinici animæ immortalitatem acerrimè negantes, dictam quoque animarum in tabellis aſſiſtentiam negare coguntur, aliqui quidem id in ſpeciem videntur affirmare præcipuè in libro, quem vocant . . . . *Sim* . . . . *li* . . . . *ta*. . . . *Civen* lib. 28. ubi fusè de hac materia diſputatur: ſi tamen omnia, quæ ibi allata ſunt, ritè perpendantur, inde nullo modo poterit probari, quod cenſuerit auctor animas defunctorum ad tabellas venire, & in illis reſidere, dato autem, quod aliqui Sinenſes animæ defuncti in tabella præſentiam affirmarint, pleriſque aliis

eam apertè negantibus, cur quæsò autor quæſitorum mavult adhærere defendentibus mendacium, quam illud negantibus, & errorem paucorum, doctrinam omnibus Sinenſibus imputare? præſertim cùm error paucorum non poſſit inficere totius regni communem ritum, & opinionem totius multitudinis ſequentis veritatem, in hoc deagimus puncto.

Trigeſima ſecunda. In quæſito decimo tertio falsò ſupponitur, quod Patres Societatis Cathecumenis ante Baptiſmnm non declarent, & in particulari doceant ſacrificia ſuperſtitioſa, & alteri præterquàm Deo vero exhibita eſſe illicita, eò quod ex his ſequerentur inconvenientia, ſcilicet deſiſtere à ſuſceptione baptiſmi perſecutiones, mors vel exilium miniſtrorum Evangelicorum. Hujus ſuppoſitionis intolerabilis falſitas, & graviſſima in Patres Societatis calumnia apertè evincitur ex plurimis libris, quos dicti Patres in regno Sinarum typis vulgaverunt, ubi ſæpiſſimè illicita ſacrificia condemnantur, illud ipſum audientibus doctrinam Chriſtianam infidelibus, & Cathecumenis inculcant, & tum in publicis tum privatis congreſſibus ubique, & apud quemcunque etiam ipſum Imperatorem, datâ vel quæſitâ occaſione id declarare non reformidant pro illa veritate vitam ponere parati. Cur ergò tam injurioſè iiſdem Patribus adeò atrocem calumniam imponit quæſitor, cujus in toto Sinarum regno tam apertè falſitas eſt cognita? quam quidem ut mitiùs

de quæſitore judicem non malevolo erga Societatem animo adſcribo, ſed potius cuidam nimis præproperæ & minus circumſpectæ incogitantiæ, quam in re tanti momenti ſibi potiſſimum ſcrupulo ducere debebat. Quoad verò politica munera, quæ ſuis defunctis à Sinenſibus offeruntur eò quod non ſint ſacrificia, ſed grati animi teſtimonia, quæ civiles officii limites non excedunt Patres Societatis nec volunt, nec poſſunt juxta falſas quæſitoris ſuppoſitiones, contra illa in Catholicorum dogmatum Catechiſmo aliquid prædicare: hoc enim eſſet ſine ulla cauſa, & valdè imprudenter maximos tumultus, & perſecutiones contra Dei legem excitare, & apud Sinas de cultu defunctorum politico optimè ſibi conſcios omnium ſibilis, & cachinnis ſe exponere. Hic autem ex occaſione breviter quærere liceat, an quibuſdam R. R. Patribus in Sinis nunc degentibus, & tabellas, cultumque defunctorum, ut ſuperſtitioſum prohibentibus licitum ſit hanc ſuam mentem Cathecumenis in explicatione doctrinæ Chriſtianæ occultare, eamque declarationem uſque poſt baptiſmum differre, ne à ſuſcipiendo baptiſmo abſterreantur? Videtur profectò minus malum eſſe Sinenſes Cathecumenos à baptiſmi ſuſceptione abſterrere, quàm poſt illius ſuſceptionem ob talis prohibitionis notitiam illos à fide deficere. Quæ quidem graviſſima incommoda, quæ experientia commonſtrat, cum multa rei Chriſtianæ jactura omninò tollerentur; ſi adhibitis Sinenſium

libris

libris ac ritibus debito ſtudio, veritas multorum annorum patientiâ inquireretur; non veró præcipiti judicio tantum leviter prælibatis Sinenſibus libris, ac Doctrinis antiquorum Miſſionariorum ſententiæ rejicerentur, qui longâ eas multitudine, ſtudio, annorum diuturnitate longè vicerunt. Sed ut ad falſæ ſuppoſitionis caput regrediamur videtur eſſe certiſſimum, Quæſitorem hoc præſens 13. quæſitum, nec pro ſe, nec pro ſuis ſociis ſacris Romæ Tribunalibus propoſuiſſe: quaſi verò ſibi compertum non eſſet, vel ipſe dubitaret de eo, quod omnis Chriſtianus, licèt Idiota niſi mentis ex toto ſit expers optimè callet. Alteri ſcilicet præterquàm ſoli Deo ſacrificare omninò eſſe illicitum, etiamſi ob hanc cauſam perſecutiones, exilia, mors ipſa per atrocia ſupplicia ſit ſubeunda. Cum igitur hæc notitia cuique Chriſtiano ſine gravi injuria negari non poſſit, cur quæſo eadem notitia, vel ſaltem omnimodæ obligationis eam Cathecumenis communicandi reminiſcentia Sinenſibus ſociis Miſſionariis deeſſe ſupponitur? Si hujuſmodi notitia, & reminiſcentia illis adeſſe non negatur, cur tam perverſa, & invida voluntas eiſdem impingitur; ac ſi eam doctrinam nolint Cathecumenis communicare? Si tam nefaria voluntas in illos non refunditur, cur turpiſſima timiditas, & ecubeſcentia hanc ſummè neceſſariam doctrinam Cathecumenis ennunciandi, illis Miſſionariis attribuere inducuntur, qui hoc quæſitum 13. aut perlegunt, aut audiunt? Nulla enim alia juſta, & laudabilis cauſa præ-

ter adductas ad hoc interrogandum videtur adfuiſſe. Interea nos ſub importabili hujus graviſſimæ , & horribilis calumniæ pondere adhuc gemimus , & noſtra fama ubique locorum fædè proſcinditur, omniumque ſibilis, cachinnis , & odio exponitur. Hæc igitur omnia ſilenter perpetuò feremus , & veritatis defenſionem nobis hiſcere non licebit ? Sed de his alia hujus tractatûs cap. 3. adduntur, & alibi pleniùs agetur.

Trigeſima - tertia. In eodem quæſito falsò ſupponitur omnia ſupradicta in antecedentibus quæſitis circa defunctorum cultum apud Sinas eſſe illicita ; hæc ſuppoſitio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ menti manifeſtè adverſatur , cùm hæc in reſponſo ad quæſitum 12. decernat : poſito quod *menſa parata* ſit quædam *tabula* , non autem *verum* , & *proprium altare* , ſi cætera contineantur *intra limites* obſequii *civilis* , & *politici* eſſe *toleranda.* Patet igitur , quod ea , quæ à S. Sede ſub debita conditione tolerantur , & permittuntur ab Authore quæſiti omnia abſolutè illicita , adeóque prohibenda immeritò ſupponis.

Trigeſima quarta. In quæſito decimo quarto falsò ſupponitur , quod vox Sinica . . *xim* idem ſit , quod *ſanctus* , *ſancta* , *ſanctum* in eo ſcilicet ſenſu , quem illi tradidit Eccleſia. Tantâ feſtinatione ſua quæſita compegit Quæſitor, ut non videatur illi fuiſſe otium vocabularia Sinica , rationémque ipſam conſulendi , ex quibus , aliiſque libris Sinicis , hujus ſuppoſitionis falſitas, & talis litteræ ac vocis maxima

ſignificationis latitudo alibi abundè demonſtrabitur. Vide infrà dicenda Cap. 3.

Trigeſima quinta. In quæſito decimo quinto falsò ſupponitur pro tempore viventis Sinarum Imperatoris nomini in aliqua tabula deſcripto , Sinenſes pluries in anno *ſacrificare.*

Certiſſimum eſt Sinenſes ſuum viventem Imperatorem tanquàm Deum , vel Idolum non venerari. Ex modo tamen loquendi hujus quæſiti patet , vel ipſius Autorem putaviſſe , inter Sinas viventem Imperatorem pro Idolo haberi , eò quod illius ſcripto nomini à Sinenſibus ſacrificetur , vel neceſſe ėſt , ut Quæſitor confiteatur , illud verbum *ſacrificare* etiam juxta ipſum eſſe valdè genericum , ſub quo ſpecies religioſi cultus , & politici officii contineantur. Ratio eſt , quia ipſemet eodem verbo ſacrificare utitur ad ſignificanda religioſa ſacrificia , & politica munera , & conſequenter juxta ipſum utraque poſſunt ſacrificia appellari. Hinc etiam alia deducitur illatio , nempè Autorem quæſitorum,ejúſque aſſeclas non poſſe juſtè arguere Patres ſocietatis , quando in ſuis Sinicis vocabulariis & libris politica munera Sinenſium nominant *ſacrificia* , quia cum dicto Autore utuntur hoc æquivoco verbo *ſacrificare* , & hoc nomine *ſacrificium* ſecundum latitudinem ſignificationis litteræ . . ẽi , quæ ſignificat munus reverenter exhibitum , ſive Deo vero , ſive Idolis , ſive hominibus etiam adhuc viventibus. Hoc idem infra confirmabitur cap. 4. ubi videbitur ab eodem Quæſitore ejuſdem litteræ . . ſignificationem extenſam

fuiſſe ultra veri, & proprii ſacrificii intelligentiam & ſenſum non ſine magna eorum, quæ ibi tractat confuſione, & æquivocatione.

Trigeſima ſexta. In eodem quæſito falsò ſupponitur illam menſam in qua Sinenſes ſui viventis Imperatoris nomine in ſcriptam tabulam collocant, eſſe altare. Unum ex duobus Quæſitor fateri cogitur, vel ſe exiſtimare Sinenſes, ut dictum eſt, ſuum viventem Imperatorem, ut Idolum colere, eò quod illi Altare erigatur, quod ſoli Deo vero, vel falſo putato Deo dedicatur, & hoc eſt evidenter falſum, vel vulgari, & civili menſæ pérperam nomen altaris imponere.

Trigeſima ſeptima ſub ſpecie quæſiti videtur falsò ſupponi eſſe illicitum in Templis Deo dicatis collocare tabulam, ubi viventis Imperatoris Sinarum nomen, & ſalutatio inſcripta ſit ſuper menſam, vel altarę, impropriè valdè dictum, candelis, roſis, & odoramentis ornatum, & ante illam tabulam genuflectere, & munera, quæ immeritò, ſi propriè loquamur ſacrificia nuncupantur offerre in Imperatoris reverentiam, & honorem. Ratio hujus ſuppoſitionis falſitatem oſtendens eſt, quia ſacra Congregatio ad hoc quæſitum reſpondit. Excluſis ſacrificiis, & altari verè & propriè dicto; cætera quæ redolent tantummodo cultum civilem, aut poſſunt ad illum reduci, permitti poſſe.

Quoad id verò, quod in eodem quæſito inſinuatur Patres ſcilicet ſocietatis ritum ſupradictum in Imperatoris reverentiam exhibitum

in Sinis peregiſſe, ſi hoc in primis Sinicæ Miſſionis exordiis ab aliquo noſtrorum alicubi actum fuiſſe intelligatur, univerſaliter id negare non auſim; cæterum à plurimis abhinc annis hoc nullo modo fit, quia experientiâ compertum eſt, hujuſmodi ritûs uſum non eſſe ad vitanda gravia incommoda neceſſarium, ideóque ab illo abſtentum eſt.

Trigeſima octava. In quæſito decimo ſexto falsò ſupponitur Patres ſocietatis Sinenſibus Neophytis permiſiſſe poſſe illos pro ſuis Majoribus in ſua infidelitate defunctis orare.

Verùm fateor me haud poſſe intelligere, quo modo hoc quæſitum liberetur, vel à crimine falſo, vel ab erroneo judicio, quod Patres ſocietatis in Sinis adeò ſupinâ ignorantiâ ſint involuti, ut illos omninò lateat, quod ſacri Canones, Theologia, & ipſamet Catholica fides circa hoc edocent, & decernunt infra Cap. 3. quæſitum hoc quàm ſit irrationabile, & nobis injurioſum demonſtratur.

Trigeſima nona. In eodem quæſito falsò ſupponitur, etiam dictos Patres pro iiſdem Sinenſibus in infidelitate defunctis ſacrificia facere, & pro illis in Miſſa Deum rogare.

Idem & potiori quidem jure fieri poteſt judicium de hac falſiſſima ſuppoſitione ac de antecedenti.

Quadrageſima. In quæſito decimo ſeptimo falsò ſupponitur, & graviſſima inſinuatur calumnia, quod Patres ſocietatis in Sinis Chriſtum Crucifixum non prædicent.

Infra cap 2. hujus atrociter injurioſæ ſuppoſi-

tionis clariſſima falſitas latè oſtenditur.

Quadrageſima prima. In eodem quæſito falsò ſupponitur eoſdem Patres Chriſti Crucifixi imaginem ſacram non oſtendere.

Infra in eodem Cap. 2. declarabitur, quod in modo eam ſacram imaginem oſtendendi antiquæ Eccleſiæ uſui, & novo S. Sedis Apoſtolicæ decreto de eadem imagine exponenda, quoad *opportunè poteſt*, dicti Patres ſemper, & omninò adhæſerunt.

Quadrageſima ſecunda & ultima falſa ſuppoſitio. In eodem decimo ſeptimo quæſito falsò ſupponitur Patres ſocietatis ineptiſſimam, & ſummè impiam cauſam adducere ad non prædicandum Chriſtum Crucifixum in regno Sinarum, & ad non oſtendendam ejus ſanctiſſimam imaginem, quia ſcilicet Sinenſes ſcandalizentur ex tali prædicatione & oſtenſione, & maximam eſſe ſtultitiam judicent.

Hæc inexplicabilis calumnia, & ſummè probroſum crimen, cujus Patres ſocietatis Jesu falſiſſimè, & injuſtiſſimè inſimulantur inferiùs cap. 2. plenè retunditur, & diluitur.

Hæ quadraginta duæ ſuperiùs relatæ falſæ ſuppoſitiones in ſeptemdecim quæſitis à Patre Joanne Baptiſta de Morales anno Domini 1645. in romana Curia propoſitis inveniuntur. Hic tantùm earum catalogus cum aliqua rerum quæſitarum explicatione recitatur in ſequentibus etiam hujus tractatûs capitibus de iiſdem materiis paulò latiùs agitur, ne quis autem opponat omnia hic ad has quæſtiones pertinentia non exhauriri, ad

alios longiores tractatus, qui ad minima etiam quæque deſcendant, & omnia diſcutiant, curioſus Lector, & æquus rerum ponderator remittitur, & ad illos legendos, & maturè perpendendos invitatur. Nunc verò ad præſentis Tractatûs ſcopum attingendum ſatis eſt, ut ex ſuperiori Catalogo manifeſtum fiat, quânam Sinenſium peritiâ rerum, qualinam veritatis examine, & ſtudio, quâ denique ſinceritate, & fide dictus Pater Morales ſua quæſita ſacris Romæ Tribunalibus examinanda, & reſolvenda obtulerit. Ex his enim omnibus benè perſpectis ſatis ſupérque colligi poterit in quamnam partem de Sinicis quæſtionibus altercantium, mala fides, ſaltem materialiter ſumpta declinet.

Cæterum licet ſuprà in prædictis falſis contra noſtros Sinenſes Miſſionarios ſuppoſitionibus, & infra ſuis locis, & calumniarum nobis illatarum enormitatem manifeſtem, potiùs quàm acri ſtylo perſtringam, negari tamen non poteſt, ni fallor juſtiſſimæ de illis & vehementiori expoſtulationi adhuc locum eſſe, & fortaſsè eandem meritò requiri: de atrociſſimis enim criminibus accuſatus remiſsè, & frigidè reſpondendo, vel illa non penitùs execrari, vel ab iis non omninò immunem ſe eſſe videtur oſtendere. Attamen quibuſcunque quæ de nobis humanus autumet, & judicet dies prætermiſſis, atque neglectis ulteriores, & vehementiores expoſtulationes fraternæ charitati, & Omnipotenti Deo, qui charitas eſt, corde magno, & volenti animo ſacrificare par eſt: veritas oſtendatur, & ſufficit nobis.

CAPUT II.

Agitur de tranſlatione in Sinicam linguam decretorum, & reſponſionum ſacræ Congregationis de propaganda fide ad quæſita R. P. Franciſci Joannis Baptiſtæ de Morales, & errata, quæ interpres in tranſlatione commiſit, perpenduntur.

TEXTUS SINICÆ TRANSLATIONIS

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Fidelis & exacta tranſlatio ſuperiùs ex ſcripti textûs Sinici in latinum idioma.

„ SAcerdos cognomine *ly*, & nomine *yo ſan*:
„ id eſt, P. Fr. Joannes Baptiſta de Morales:
„ revertens in Europam, & ad aulam roma-
„ nam perveniens datâ operâ ſummum Ponti-
„ ficem obſecravit, ut decerneret, quaſnam
„ rituum regulas Chriſtianas regalis Sinarum
„ familiæ nomine *ta mim* regimini ſubjectos
„ ſervare conveniat. Supplicem obtulit libel-
„ lum per hæc verba (ſupplex libellus in tex-
tu

tu Sinico non refertur), ſummus Pontifex “
Urbanus VIII. excellentioribus in doctrina “
Magiſtris priùs mandavit, in unum cogi, & “
de contentis in ſupplici libello dicti Patris de “
Morales diſquirere. Aliquot menſibus elap- “
ſis, tunc demum quid eſſet reſponden- “
dum, ſtatuerunt. Deinde ſummus Pontifex “
Innocentius X. ad Pontificatum evectus “
(juxta dictorum Magiſtrorum judicia,) de- “
cretum edidit inquiens; primò Chriſtianos “
regiæ Sinarum familiæ *ta mim* dictæ regimi- “
ni ſubjectos Majoribus defunctis munera of- “
ferre non convenit. Secundò confucio munera “
offerre non convenit. Tertiò inſuper *Chim* “
Hoam munera offerre non convenit. Quartò “
tempore prædicationis, omnia ad Domini “
noſtri Jesu Incarnationem, mundi Redem- “
ptionem, & Paſſionem pertinentia convenit “
promulgare, & Jesu Crucifixi imaginem in “
Domini Altari erigere convenit. Quintò Ma- “
jorum defunctorum Epitaphium in tabella “
deſcriptum exponere Chriſtianis non conve- “
nit. Sextò pecuniam alteri fœnerare non con- “
venit, 7°. Tempore Baptiſmi convenit, ut ſa- “
cerdos omnes mulieres ſancto Oleo vice al- “
terius inungat, & ſanctum ſalem guſtan- “
dum eiſdem præbeat, & in earum mortis “
articulo convenit, ut vice alterius ſanctum “
Oleum iis conferat. Octavò omnibus mari- “
bus, & fœminis Chriſtianis diem domini- “
cum, & magnos dies feſtos abſtinentiam, à “
carnibus, & jejunia ſervare convenit. “

Antequàm de ſingulis ſuperiùs allatæ ver-

ſionis articulis tractare aggredimur, quædam priùs ad eorundem meliorem intelligentiam prænotanda ſunt.

Primò notandum, quod ſupradicti textûs Sinici in latinam linguam tranſlatio non ſit ſecundum tenorem Quæſitorum, quæ Pater de Morales Romæ propoſuit; eorum enim ne unum quidem verbum in relato textu invenitur, nec juxta formalia verba reſponſionum, quas idem Pater de Morales accepit; hic enim textus ab earum autographo quàm maximè diſcrepat; ſed tantùm fideliter, & ad amuſſim exprimitur ſenſus, quem textus & litteræ Sinenſes requirunt juxta illarum propriam, & communem ſignificationem, & Sinenſium acceptionem, ut ſcilicet apertè conſtet, quemnam conceptum Sinenſes Chriſtiani de Pontificiis decretis illorum linguæ & litteris tranſlatis efforment, & ut tranſlationis vitia clariùs innoteſcant.

Secundò notandum quiſnam fuerit relatæ verſionis Interpres, & quo tempore illa confecta fuerit. Interpres videtur omninò fuiſſe idem R. P. de Morales qui anno Domini 1649. ad Sinas reverſus ſtatim à ſe allata reſponſa, & decreta Sinenſibus Miſſionariis ſacræ Congregationis de propaganda fide, & Apoſtolicæ ſedis nomine denunciavit. Eodem tempore valdè probabile eſt, dictum R. Patrem Sinenſibus Chriſtianis eadem decreta ſinicè tranſlata promulgare voluiſſe. Circa idem tempus, credibile eſt, quod idem Pater Sinicum opuſculum ſuo nomine inſcriptum, de obſequio ſi-

liali, de quo infra cap. 4. agemus, elaboraverit, & ediderit, ad cujus calcem hæc Pontificia reſponſa ſinicè conſcripta inveniuntur. Nullo autem modo dici poteſt, hujuſmodi tranſlationem tardiùs fuiſſe confectam. In ipſius enim textûs duobus locis apparet, tunc verſionem hanc elaboratam, editámque fuiſſe, cum adhuc in quibuſdam Sinarum Provinciis, & præcipuè in Provincia *To Kien*, quò dictus Pater appulerit, ibíque morabatur regia familia *Ta mim* non dum penitùs à Tartaris extincta dominabatur. Quando enim fieri potuit, ut poſterioribus annis, cùm totum Sinarum regnum Tartari occupaſſent, Sinenſes Chriſtiani in ſupradicto textu regiæ familiæ *Ta mim* dominatui ſubjecti nominarentur? Hic aliquis fortaſsè interrogabit: ſi eo tempore, quo regia *Ta mim* familia nondum penitùs à Tartaris extincta fuerat, hæc Sinica tranſlatio perfecta fuit, cur tam ſerò ſcilicet poſt 30. circiter annos Patres Societatis illam aſſecuti ſunt, & de illa mentionem faciunt? Reſpondeo hoc potiſſimum attribuendum eſſe videtur maximæ diligentiæ, & cautioni R. P. Fr. de Morales, ejúſque ſociorum, qui illam nobis omninò celatam eſſe voluerunt. Anno autem hujus ſæculi 79. cùm in urbe Cantonienſi degerem, illius notitiam inopinato caſu ſubodoratus ſum. Protinùs igitur de re mihi certò, ſed confusè comperta, noſtrum Patrem Simonem Rodriguez in urbe *fockeu* Provinciæ *fockien* Metropoli commorantem certiorem feci, illúmque inſtantér rogavi ut dictum tranſlationis exſcrip-

tum exemplar inter Chriſtianos R R. P P. Dominicanorum curæ ſubjectos diligenter perquireret, & inventum ad me tranſmitteret. Hoc P. Rodriguez ſtatim aſſecutus eſt, & ad me duabus viis magnâ ſedulitate tranſmiſit. Hoc igitur accepto, cùm primùm à cæteris urgentioribus occupationibus aliquid otii modo nactus ſim, ad hunc ſcribendum in ſupradictam tranſlationem tractatum animum applicui.

Tertiò notandum relatam verſionem plurima in ſe continere errata, & lapſus. Primò enim eſt, tripliciter mutila, quia non refert libellum ſupplicem ſedi Apoſtolicæ oblatum, referri autem fideliter omninó debuerat, ut propoſita S. Sedi, cum ſibi ſignificatâ ejuſdem mente Sinenſes diligenter conferrent, & an unum apud eandem Apoſtolicam ſedem quæſitum, & aliud diverſiſſimum ſibi denunciatum fuiſſe, poſſent evidenter advertere, deindè quia ex ſeptemdecim Pontificiis reſponſis octo tantùm in Sinico textu referuntur, & cætera reticentur, demum quia eadem ipſa octo reſponſa,quæ ibidem referuntur diminuta ſunt,& decurtata.Secundò interpres in recitandis dictis reſponſis, autographi ordinem non ſervavit, ſed potiùs nullo ad id reſpectu eum ordinem invertit, primum enim reſponſum ultimo loco poſuit, ſecundum penultimo; nonum verò, & octavum in prima collocat acie, quaſi verò in hæc duo puncta R. Patris de Morales ſummæ ſollicitudines, vaſta itinera, ſudores, & labores potiſſimùm dirigantur. Tertio debitam verſioni fidem Inter-

pres ſæpè non ſervat ob hanc, ut videtur cauſam, ut ſuis ſcilicèt meliùs conſulat à præjudicatis ſententiis, eáſque Sinenſibus Chriſtianis tanquàm Apoſtolicæ ſedis authoritate confirmatis denunciet. Quartò ob minorem, quàm opus erat Sinicæ linguæ peritiam in contrarium, & inſulſum ſenſum, Autographum decretorum ſæpè transfert. Quintò verſionis ſtylus humilis eſt, & rudis, nec ſervat loquendi etiam præcisè neceſſarias proprietates. Hæc omnia in præſenti, & ſequenti capite demonſtrantur. His prænotatis octo articuli verſionis modo percurrentur eo ordine, quo in textu Sinico diſponuntur.

PRIMUS ARTICULUS

Textus Sinicæ Tranſlationis.

. . . .

Verſio hujus Textus.

C*Hriſtiauos regiæ Sinarum familiæ Ta mim dictæ regimini ſubjectos Majoribus defunctis munera offerre non convenit.*

Hæc verſio à Pontificii decreti mente, & verbis eſt valdè aliena. Reſponſio enim decreti ad quæſitum nonum declarat Sinenſibus Chriſtianis nullatenùs licere aſſiſtere ſacrificiis in honorem defunctorum progenitorum, & multò minus circa illa miniſterium aliquod exerce-

re. Hoc Interpres fideliter, & clarè exprimere in ſua verſione debuerat. Sinenſes autem in hujus articuli Sinico textu ſibi propoſito nihil aliud intelligunt, eſſe illicitum, quàm munera offerre defunctis, licet illa ſint evidenter politica, & nullo modo ſint vera ſacrificia.

Dicet Interpres litteram... *Ci* in textu appoſitam habere ſignificationem ſacrificii, ideóque per illam ſedis Apoſtolicæ mentem, per verba apta declarari.

Reſpondeo littera *Ci* ampliſſimam habere ſignificationem, non ſolùm quoad res omninò diverſas de quibus modo non agimus, ſed ad rem noſtram præcisè pertinentem. Illa enim non tantum ſignificat ſacrificium vero Deo, vel Idolis oblatum, ſed etiam ſervat ſpecies politicorum munerum quæ honoris causâ inter homines offeruntur ſive in conviviis, ubi conviva, & convitator . . *Siam* . . *Ci id eſt edulia, vinum &c.* ad invicem ſibi offerunt, ſive etiam extra convivii tempora adventu hoſpitum, in ſolemnitate nuptiarum, & aliis multis occaſionibus, item coram tabula ubi viventis Imperatoris, vel aliorum vivorum benefactorum nomina inſcripta ſunt munera eâdem voce, & litterâ *Ci* nuncupata offeruntur. Quoad defunctos verò munera illis exhibita eodem planè modo nominantur, ſive ea conſanguineis, & affinibus, vel extraneis offerantur. Hæc inſuper erga defunctos honoris officia non tantùm inveniuntur inter æquales, ſed etiam in ſuperioribus erga inferiores, & in ipſomet Imperatore erga ſubditos in annalibus, & li-

ſ.

bris Sinicis paſſim iſtiuſmodi narrationes occurrunt, & ne aliena tantùm adducamus in memoriam revocemus, quod Imperatores Sinenſes erga P. Matthæum Riccium, P. Nicolaum Longobardum, P. Joannem Adamum Scalet, P. Gabrielem de Magalhanes geſſerunt. His emortuis . . *ſic* . . *Ci* . . *çam*, id eſt *beneficium* munerum eis ſuo nomine offerendorum, & ſepulturæ locum impertiti ſunt. Palatinos ergo Prefectos unà cum ingenti argenti pondere in funeris ſumptibus inſumendo ſibi delegarunt. Ita . . *yu* . . *Ci* id eſt *Imperatoris nomine* munera defunctis Patribus obtulerunt cum ſolitis genuflexionibus, capitis uſque ad terram inclinatione, aliiſque reverentiæ, & honoris officiis. Videatur Catalogus ſcriptorum in Sinico idiomate noſtræ ſocietatis & harum rerum narrationes Sinenſibus typis in lucem datæ, & præterea varii tractatus ſuper hanc litteram *Ci* . . Hic interrogo; an ne Imperatores Sinenſes dictos Patres pro Idolis habuerunt? annè ſacrificia illis obtulerunt? Ridiculum ſanè eſſet hæc cogitare. Præterea ſi hujus ritûs circumſtantiæ, & præcipuè Sinicus loquendi modus rectè conſideretur, illius actionis merè politica ratio evidenter inſpicietur. Dicitur enim Imperator ſubditis defunctis munera offerendo, eiſdem eâ ratione beneficium impertiri, hoc autem beneficium conferendi motivum, cum ratione ſacrificii quomodo poterit coaptari? ſacrificium enim ſuâpte naturâ fit in recognitionem, & proteſtationem ſupremi dominii illius, cui offertur, & ſimul

ſubjectionis, & ſervitutis erga eundem.

Superiùs attigimus munera apud Sinenſes defunctis offerri, non tantùm à conſanguineis & affinibus, ſed etiam ab extraneis cujuſcunque ſint conditionis, & ſexûs. Ad hoc melius confirmandum, ſciendum eſt, quod cùm aliquis in hoc regno mortem obierit, præſertim nobili, & divite familiâ natus, præter cognatos, omnes amici ad defuncti domum accedunt, ibíque coram cadavere in lignea arca recluſo genuflectunt capite ad terram pluries inclinato reverentiam exhibente . . *Tiao* . . *Ci*, id eſt ſummæ commiſerationis ſigna, ob amici, vel patroni mortem oſtendunt, illíque munera reverenter offerunt. Hic mos etiam à Miſſionariis Sinenſibus, non ſolùm noſtræ ſocietatis, ſed etiam ex ſacris Ordinibus S. Dominici, & S. Franciſci ſervatur. Teſtes ſint R. P. Fr. Franciſcus Varus è ſancti Dominici familia, qui in urbe *fochcu* Provinciæ *Fokien* reguli ibi demorantis demortuæ Matri, & R. P. Franciſcus de Conceptione è S. Franciſci familia in urbe Cantonienſi nuper occiſi reguli Patri defuncto hunc honorem, & reverentiam unà cum muneribus detulerunt.

Ex dictis ſatis ſupérque infertur, ex vi ſignificationis litteræ *Ci* concludi nequaquam poſſe proprium, & ſtrictè ſumptum ſacrificium per illam ſignificari, niſi per adjuncta tollatur æquivocum, ideóque nec Interpretem per eandem litteram Pontificii decreti mentem, & verba ſinicè exprimere potuiſſe.

Si

Si verò conſideremus non tantùm vocem, ſed etiam rem ſacrificii, multò minus munera, quæ Sinenſes ſuis offerunt defunctis, poterunt *ſacrificia* nuncupari. In ſacrificio ſiquidem juxta Theologos debent hæc quinque conſiderari. 1°. Miniſter, 2°. Materia, 3°. Forma. 4°. Locus. 5°. Finis. Hæc igitur cum prædictis mortualibus Sinarum muneribus comparemus.

Primò miniſter ſacrificii debet eſſe ſacerdos ad hoc miniſterium ſpecialitèr, & legitimè deputatus. Inter Sinas autem univerſalitèr loquendo, nemo eſt ad præfata dona mortuis exhibenda peculiaritèr deſtinatus, ſed omnes utriuſque ſexûs, & cujuſcunque conditionis (exceptis Bonziis Idolorum ſacerdotibus tanquàm à ſecularibus, & politicis curis, & officiis ſegregatis, quod eſt maximopere conſiderandum) ut diximus ſuo, vel alterius nomine hoc officio fungi poteſt, niſi aſſerere libeat omnes Sinenſes mares, & fæminas eſſe ſacerdotes; quo quid abſurdius?

Secundò materia ſacrificii eſt aliqua res ſenſibilis, & externa viva vel inanimata. Hæc autem materia per ſe ſumpta, ut patet, non conſtituit rationem ſacrificii, cum ea ad quemcunque uſum de ſe ſit indifferens?

Sinenſes verò adhibent in ritibus funeralibus omnia cujuſcunque ſpeciei comeſtibilia, & potabilia, & juxta ipſorum politicum rituale ea ferè deberent eſſe quæ defunctis in vita degentibus fuerant gratiora, ut meliùs repræſentatio honorandi defunctos, ac ſi eſſent

ſuperſtites exprimeretur. Hæc autem ut plurimum incerta ſunt, & ad cujuſcunque palatum accommodata. Materia igitur dictorum munerum in Sinis eſt maximè indeterminata, quod contra accidit in veris, & propriis ſacrificiis, ubi quædam aſſignantur pro idonea materia, alia prohibentur.

Tertiò. Forma ſacrificii conſiſtit in deſtructione, vel mutatione rei oblatæ in ipſo actu ſacrificii, ut patet in ſacrificiis legis, naturæ, & ſcriptæ, immò & legis gratiæ.

In Sinenſium autem donis ſuis defunctis oblatis, ſi materia ſit comeſtibilis, in ipſo actu oblationis nulla ſit deſtructio, vel mutatio, ſed ſolùm die antecedenti animalia à macellario occiduntur, & ad culinam, ut ſuo tempore coquantur, afferuntur, ſequenti die juxta morem in menſis offeruntur; & ritibus expletis omnia cum aliis ordinariis eduliis à domeſticis & hoſpitibus comeduntur; ſi verò materia ſit potabilis, ut vinum, in ipſo quidem actu oblationis parum vini è poculo pleno in terram cadere ſinitur; hoc primâ facie aliquam deſtructionem materiæ continere videbitur, ideóque dari formam, unum ſcilicet ex quinque requiſitis ad ſacrificii conſtitutivum. Verùm ſciendum eſt actionem effundendi parumper vini è poculo, ut dictum eſt, inter Sinas eſſe de ſe indifferentem, & ſæpiſſimè evidenter politicam. Legatur Sinenſe rituale politicum (mihi lib. 8. pag. 23. facie 2. verſ. 14.) ibi invenietur in feſtivarum inter amicos compotationum, & propinationum regulis, &

ritu fuſè deſcripto eadem actio emittendi in terram aliquantulam pleni poculi partem, & hoc genuflexo, aliiſque profundæ reverentiæ ſignis. Imò quod magis eſt non tantùm inter ipſoſmet Regulos cum hoſpitii gratiâ ſe ſe ad invicem in domum admittunt, hæc conſuetudo ſervatur, ſed ipſemet Imperator hoc idem peragit, cum ſibi ſubditos Regulos, ad ſe ſubjectionis ſibi præſtandæ causâ adventantes eodem urbanitatis officio honorat: hoc teſtatur liber Sinicus cui nomen eſt . . *Cùm* . . *Miao* . . *ly* . . *jo* . . *cao*, id eſt de ceremoniis,& Muſica aulæ Confucii lib.3.apud me: pag.16.facie 2.verſ.1.& deinceps hujus libri Auctor opportunè ad noſtrum propoſitum adjungit loco citato; *ſi hoc beneficium Imperator Regulis ſibi benemeritis præſtat, cur hoc an Confucio fieri debeat necne dubitatur?* Hic textus Sinicè ſcriptus cum aliis ſimilibus alibi fuſè referetur. Hinc infertur, hanc vini effuſionem eſſe tantùm honorificam urbanitatem, & officium purè civile;denique ad rem noſtram concluditur, cùm cætera, quæ à Sinis in munerum oblatione erga defunctos peracta ſint politica, etiam hanc vini effuſionem eſſe politicam, & nullatenùs eſſe formam ſacrificii.

Quartò. Locus ſacrificii eſt altare ad hoc ſpecialiter deputatum, & conſecratum, in quo fiat victimæ, & rei oblatæ deſtructio, vel mutatio.

In Sinarum oblationibus, de quibus agimus, nullum invenitur altare ſpecialiter deputatum, aut conſecratum, in quo fiat dicta

deſtructio, vel mutatio. Ad munera autem defunctis offerenda quælibet communis menſa, quæ caſu occurrat adhibetur, atque adeò, & nomine, & re eadem cum qualicunque alia vulgari menſa, niſi velimus omnes Sinenſium menſas altaria appellare.

Quintò finis ſacrificii univerſaliter ſumpti, eſt, ut referatur in honorem Dei, vel veri, vel putati vel ficti, in recognitionem ſcilicet, & proteſtationem ejus ſupremi dominii, & ſimul noſtræ ſubjectionis, vel ſervitutis erga illum. Secundò in gratiarum actionem ob accepta ab ipſo beneficia. Tertiò ad novorum beneficiorum impetrationem; quartò ad expiationem peccati contra ipſum commiſſi conſequendam. Hujus multiplicis finis ratio, quoad omnes ejus partes in Sinenſium muneribus defunctis commemorationis, & amoris intentio erga defunctos intra limites civilis obſequii, & honoris erga eoſdem. Hæc omnia alibi fusè probantur, & objecta diluuntur.

Ex dictis conſequitur litteram . . *Ci* per ſe ſolam, neque quoad rem veram, & propriam ſacrificii rationem ſignificare, ideóque non poſſe relati decreti Pontificii Interpretem per eandem litteram *Ci* aptè, & verè ſummi Pontificis mentem, & verba Sinenſibus explicare, niſi aliud addatur.

Prætereà etiam dato caſu, quod Sinenſes verum, & ſtrictè ſumptum ſacrificium defunctis offerrent, & Interpres vellet Sedis Apoſtolicæ mentem, quâ illud declaratur illicitum fideliter proponere, in hoc ipſo etiam Inter-

pres à ſcopo graviter aberraret : dicit enim in ſuo citato textu ſummum Pontificem declaraſſe . . *Pu* . . *cai* id eſt , non *convenire,* ſive non *decere* illa ſacrificia peragere ; hæc enim dictio non *convenire* , ſive non *decere* , conſulentis eſt non præcipientis,ſeu graviter & ſtrictè obligantis.Sacrificia autem alteri præterquàm ſoli Deo exhibita in primo Dei præcepto ſeveriſſimè prohibita implicitè continentur ; quomodo ergo hoc aptè explicabitur tantummodò dicendo : non convenit , ſeu non decet illud infringere. Præterea clariſſimè patet hoc eſſe Pontificio decreto omninò contrarium , nam in ejus fine ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatæ illius diligens obſervantia diſtrictè præcipiendo mandatur ; denique illud graviſſimum abſurdum ex dicto Interpretis loquendi modo ſubſequitur , quia plures Neophyti Sinenſes ex illo facilè inferent ſacrificare alteri , præterquàm ſoli Deo non eſſe uſquequaque & ſtrictiſſimè prohibitum , ſed tantùm ad melius eſſe , & ex quadam decentia , hoc autem abſurdo quidnam poteſt deteriùs inveniri? Conſtat ergo evidenter Interpretem in hoc primo articulo à legitima verſione toto cœlo aberraſſe.

ARTICULUS II.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .

Verſio hujus Textus,

Confucio munera offerre non convenit.

HÆc Pontificii reſponſi ad quæſitum ſeptimum Patris de Morales tranſlatio in pluribus non leviter deficit.

Primò quia Sinenſibus Neophytis Apoſtolicæ Sedis mentem longè aliter, quàm opporteat proponit. Summus enim Pontifex ex vi dicti quæſiti ſupponit Confucium eſſe Idolum, & ut tale à Sinenſibus adorari, illique ſacrificari, ab eo inſuper beneficia peti, & ſperari, ejus Idolothyta ſuperſtitioſè comedi, & tandem ſimulatam S. Crucis delationem in ejus cultu adhiberi. Juxta hanc ſuppoſitionem omnia ſupradicta non licere nec permitti poſſe conformiter ad certiſſima ſanctiſſimæ Fidei dogmata in Pontificio reſponſo declarantur. Tranſlatio verò omninò ſuppreſsâ relatione facti à ſancta Sede ſuppoſiti, ejuſdem nomine denuncians, munera offerre Confucio Sinenſibus prohibet. Littera enim *Ci* . . in ſubjecta materia cultûs Confucii apud Sinenſes nihil aliud ſignificat, quàm *politica munera*, ut in articulo ſuperiori

& ſimili caſu dictum eſt. Hoc igitur loquendi modo hujus articuli tranſlatio nulla Pontificiæ mentis, & intentionis, veram ſpeciem ingerit, & infundit.

Secundò hujuſmodi tranſlatio Sinenſes ad ſibi perſuadendum facilè inducit omnem Confucii politicum cultum à ſummo Pontifice prohiberi, hoc autem abſque dubio videtur omninò falſum. Eccleſia enim in conſuetudinibus, & ritibus gentium omne, quod contra fidem, & bonos mores non ſit, illis permittit, ut ex pluribus ſacris Canonibus, ſanctis Patribus, & Doctoribus abundè conſtat, ut alibi referam.

Tertiò licèt in prædicto quæſito ſuppoſita eſſent omninò vera, & certiſſima, Pontificia declaratio de divinis præceptis in cultu Confucii nullo pacto violandis in relata tranſlatione nequaquàm benè, & aptè proponitur per illa verba. *Non convenit*, vel *non decet*, ut in priori articulo, & conſimili materia notatum eſt.

Ne quis autem fortè objiciat gratis à nobis ſupponi Sinenſes ex præſenti tranſlatione ab Interprete iis propoſita Pontificii decreti ſenſum non benè percipere ad talem objectionem refellendam neceſſe eſt hìc aliquid ex multis, quæ alibi fusè de cultu Confucii diſſeruntur in medium proferre.

Primò igitur recolendum eſt id quod ſuperiori articulo adduximus de quinque requiſitis quæ veri, & proprii ſacrificii rationem conſtituunt. Eadem igitur requiſita cum muneribus Confucio exhibitis ſedulò conferantur, & ple-

nè conſtabit dicta munera nec eſſe, nec vocari poſſe ſacrificia.

Deindè ex Philoſophia pro certo ſupponendum eſt, quod omnis actio à ſuo objecto formali & motivo ſpecificatur, ideóque eadem actio materialiter ſumpta v. g. actus adorationis ſi habeat pro objecto motivum religionis, erit religioſa, ſi politicum, & civile, erit politica, & civilis, ſi ſuperſtitioſum erit ſuperſtitioſa; ſi adoratio referatur ad Deum, erit latria, ſi ad Deiparam Virginem erit hyperdulia; ſi ad Angelos, & Sanctos, erit dulia; ſi ad Idola, erit Idololatria, ſi ad regem, ad parentes, ad ætate & gradu majores, ſive ad amicos, hoſpites, etiam valdè inferioris conditionis, uti Sinis mos eſt, & fit, capite uſque in terram inclinato, abſque dubio omnis hæc adoratio erit politica & civilis. Quoad defunctos verò, ſi ex pluribus, & manifeſtis circumſtantiis conſtet eandem adorationis actionem cum eodem objecto, & motivo formali erga illos exerceri, cum quo erga vivos exercetur, dubium non eſt, quin hujuſmodi adoratio ſit politica, & civilis.

Prætereà ſciendum eſt, à Sinenſibus non ſoli Confucio titulo magiſterii cultum, & honorem exhiberi, ſed in eadem aula Confucii, una cum ipſo centum, & ampliùs litterati, & ſapientes inter illos inſigniores coluntur, & honorantur; appoſito pro unoquoque ipſorum proprio nomine in ſcripta tabella, & ad quamlibet harum tabellarum, genua flectuntur, caput uſque ad terram inclinatur, & munera offeruntur.

offeruntur. Ad hunc honoris gradum non tantùm antiqui, ſed etiam moderni celebriores ſapientes etiam uſque ad noſtra tempora Imperatoris decreto evehuntur; de illorum ſanctitate, & virtutibus moralibus ne dicam Theologalibus, nulla omninò fit mentio, immò de illorum pluribus magna vitia ſæpè narrantur, & acri ſtylo perſtringuntur. Hinc evidenter datur intelligi illos à Sinenſibus, non ut ſanctos viros, ſed ut excellentiores ſapientes politicè honorari. His præſuppoſitis in ſequentibus Sinicis textibus oſtenditur.

Primò Confucium, & conſequentèr cæteros ſapientes Sinicos in ipſius aula unà cum illo honore affectos inter ſpiritus quos ſecta litteratorum cognoſcere, & colere ſaltem ex antiqua inſtitutione profitetur, à Sinenſibus non referri.

Secundò Confucium inter Bonziorum Idola coli Imperatoris legibus prohiberi.

Tertiò Sinenſes venerari Confucium eo modo, quo ipſi viventes Magiſtros venerantur.

Quartò Intentionem colendi Confucii, ut Sinarum Magiſtri Imperatoris Sinenſis teſtimonio expreſsè declarari.

Prima propoſitio probatur ex libro, qui dicitur . . *Cum* . . *Miao* . . *Ly* . . *Jo* . *Cao* id *eſt examen rituum*, *& muſicæ aulæ Confucii libro primo* (*mihi*) *pag.* 35. *facie* 2. *verſ. ultimo* ibi agitur de portis cancellatis, quæ in quibuſdam aulis indebitè conficiebantur textus ſic ait.

. . . .
. . . .
. . . .

„ Id eſt, Confucius ſanè eſt (purus) homo „ defunctus, ſive defuncti hominis ſpiritus; „ oblatio munerum coram illo ex inſtitutione „ fit in ejus aula, quæ non eſt per modum ar- „ cæ ſubdiſpoſitæ (ubi ſacrificatur ſpiritibus „ quos ſecta litteratorum cognoſcere profitetur, „ ut dictum eſt) adhibere autem in illius aulæ „ januis opus cancellatum, hoc eſt tractare „ Confucium, ac ſi eſſet ſpiritus, aliquis ex „ ſupradictis, illúmque cum cœli, & terræ ſpi- „ ritibus comparare. Hoc verò ab Imperatori- „ bus præſcriptâ formâ valdè procul diſtat.

Hic textus deſumitur à vaſtiſſimo opere cui titulus eſt.

. . *Ta* . . *mim* . . *Hoey* . . *Tien*; *id eſt ſumma legum, ſive rituum regalis familiæ Ta mim dicta.*

Secunda propoſitio probatur ex libro, cui nomen eſt *Po Va Tien Guey id eſt de omnium rerum ſpeciebus methodicè deſcriptis lib.* 4. *mihi : pag.* 1. *facie* 2. *verſ.* 2. ibi refertur . . *Im* . . *Cum* Imperatoris decretum anno Domini 1438. publicatum per hæc verba.

. . . .

Id eſt : *Imperator prohibet munera offerri Confucio in fanis Idolorum, quæ ſoe, & Lao tan vocantur.*

Ex hoc textu ſatis clarè deducitur nolle Sinenſes Confucium in numerum Idolorum tranſcribere, ſicut in præcedenti textu à claſſe ſpirituum cœlo, & terræ præſidentium eundem excludunt. Ulteriùs hinc inferri poteſt, quod cum Imperator Sinenſis vetet comparari Confucium cum duobus Idolis *Foë*, *&* *Lao tan*, quæ ſunt in Sinis principaliora, & magis univerſaliter culta, multò magis intelligendum eſt, eſſe prohibitum eundem in numerum Idolorum inferioris ordinis collocare. Hic etiam opportunè notandum, quod ſi Sinenſes Confucium quem ubique plenis buccis omnium hominum excellentiſſimum prædicant inter Idola non collocant, quanto magis hoc idem de ſuis progenitoribus defunctis judicabunt.

Tertia propoſitio probatur ſcilicet, quod Sinenſes Confucium venerentur eo modo, quo viventes Magiſtros honorant.

Ad hujus majorem intelligentiam ſciendum eſt eximium cultum, & honorem viventium, & defunctorum Magiſtrorum inter Sinas longè ante Confucii tempora viguiſſe, hoc manifeſtè patet ex libro quem vocant . . *Cheu* . . *ly*. lib. 8. ſub titulo . . *Tay* . . *Su* . . *yo*, & ſub titulo . *Ta* . . *Siu* Item ex libro . . *ly* . . *Ki* cap. 5. *Vam* . . *chi* . . cap. *6. yve* . . *lini.* cap. 8. *Ven* . . *van* . *Xy* . . *Cu* & cap. 18 . . *Hio* . . *Ki*. Hos textus brevitatis gratiâ hic non relatos, facilè erit cui libeat in citatis locis invenire.

Quod autem eâdem omninò ratione Sinæ demortuos Magiſtros, quâ vivos venerantur

patet ex citato libro. *Cum Miao ly yo cao* poſt proœmia, & ante initium libri primi, mihi, pag. 4. facie 2. ibi agitur de ritu . . *Xe* . . *Cay*, id eſt *offerendi munera defunctis Magiſtris*. Origo hujus ritûs inquiritur, & per hæc verba explicatur.

. . . .
. . . .
. . . .

„ Id eſt. Qua de cauſa iſte ritus vocatur
„ *Xe cay*. Hic ritus ſimilis eſt ritui offerendi mu-
„ nera, cum aliquis amicum inviſit. Certè in-
„ ter ritus Sinicos in ſolemnitate nuptiarum,
„ cum ſponſa ſocerum, aut ſocrum primum
„ inviſit ad dona illis offerenda utitur quacun-
„ que ſpecie fructuum, quos mala vocamus,
„ & caſtaneis, ſi ſocer, & ſocrus vitâ defuncti
„ fuerint ſponſa aulam majorum defunctorum
„ inviſit, ibique dona offert. Omnes diſcipuli
„ cùm viventem Magiſtrum inviſunt ad mu-
„ nera illis offerenda iis rebus utuntur, quas
„ vocant *Xo ſieu*, & ferè ſunt res comeſtibiles,
„ & vinum ſive argentum, cum autem hoc ur-
„ banitatis officium erga mortuos magiſtros
„ exercent, tum illis dona offerunt, quæ ap-
„ pellant *Xe cay*.

Hactenùs Sinicus textus, poſt quem ab ejus autore notatur, dicta munera ex ſua prima inſtitutione fuiſſe varias olerum ſpecies, poſteà introductum fuiſſe pannos ſericos & carnes animalium pridie à macellario occiſorum, deindè benè coctas offerre.

Ex citato textu, & plurimis aliis, qui hìc brevitatis causâ prætermittuntur, & potiſſimùm ex illo celebri, & in ommium Sinenſium ore verſatiſſimo axiomate . . *ſu* . . *ſu* . . *ju* . . *ſu* . . *ſem*, id eſt *eodem modo coluntur ex hac vita defuncti*, *ut coluntur homines adhuc in hac vita degentes*. Univerſalis doctrina colligitur, tam pro cultu defunctorum progenitorum, ſive amicorum &c. quàm Confucii, & cæterorum ſapientum, & Magiſtrorum, qui jam obierunt munera ſcilicet ipſis exhibita eſſe quandam continuationem ejuſdem honorifici officii, quo illos invita ſuperſtites eorum filii, cognati, amici, & diſcipuli fuerant proſecuti.

Quarta propoſitio, nempè de intentione colendi Confucium ut Magiſtrum in muneribus illis oblatis apertè probatur ex eodem jam citato libro, *Cum Miao ly yo cao* lib. 1. pag. 4. facie 2. ubi refertur decretum Imperatoris . . *Chim* . . *cu* . . *ven*, qui eſt tertius ex regali familia *Ta mim*, & regnare cœpit anno Domini 1406. Decretum ſic ait.

. . . .
. . . .
. . . .

„ Id eſt ego veneror Confucium Imperatorum Magiſtrum, Imperatores quidem Domini ſunt populorum, Confucius verò bonam populorum inſtitutionem præpoſuit. Tria illa vincula videlicet inter Regem, & ſubditos, inter Patrem, & filium, & inter ma-

ritum, & uxorem, multa officia exercen- "
da; doctrinam quinque univerſalium, & "
perpetuò ſervandarum virtutum, nempe pie- "
tat s, juſtitiæ, omnium officiorum ritè "
obeundorum ſtudii, prudentiæ, & fidelita- "
tis, Sinici Imperii magnam ſymmetriam, & "
formam, hæc omnia Confucius declaravit, "
ut omnia ſæcula erudiret. Convenit igitur, "
per me ipſum ad magnum Gymnaſium: hoc "
eſt aula Confucii, pergere, & munera offerre "
Confucio *cum hac intentione*, ut litteratos, ſive "
litteratorum inſtitutum magnificem & hono- "
rem, rectamque doctrinam magni pendam, "
hucuſque Imperator. "

Ex his quatuor relatis textibus ſupradicta quatuor propoſitionum veritas ſatis apertè conſtare videtur, videlicet Confucium apud Sinenſes nec recognoſci, tanquàm ſpiritum, humanorum ſpirituum ſphæram excedentem, nec pro Idolo haberi, & coli, ſed ſolùm ut Magiſtrum eâdem omninò ratione, & intentione honoris, quo viventes Magiſtri in Sinis coluntur, ac honorantur.

Contra politicum à nobis aſſertum Confucii, & ſimiliter etiam defunctorum hominum cultum varia ab illum impugnantibus objiciuntur, quæ in hoc tractatu, cujus aſſumptum, & titulus eſt alibi fusè dicendorum præludium diſtinctè referri, & diſſolvi nequeunt. Verùm tamen abs re non erit ſumma objectionum capita, & quæ ad illa reſpondenda ſunt leviter attingere, & ferè ſunt hæc, quæ ſequuntur.

Primò multoties ea objiciuntur, quæ Chri-

ſtianis Sinenſibus omninò non permittimus: Ad hæc reſpondemus, nullam de his debere fieri quæſtionem, quia ea omnia penitùs rejicimus, & reprobamus. Ad objicientes ſpectat ſolidè probare illam ad quæſtionem pertinere.

Nos in hoc tántùm inſiſtimus, ut Pontificiis decretis circa has quæſtiones penitùs conformemur, nempè quòd dummòdo ſubſtantia cultus, de quo eſt controverſia, intra limites obſequii civilis, & politici contineatur, ſi aliquá illi adjacentia civilem, & politicam actionem tantummodò redoleant, vel ad illum reduci poſſunt, illa permittimus, ſi detur univerſalis, gravis, & urgens neceſſitas; ſi verò dentur alia illi cultui extrinſecè adjuncta quæ ſuperſtitionem verè redolent, nec ad cultum civilem reduci poſſunt, ea omnia de facto excludimus, reſecamus, & nullo pacto Neophytis permittimus.

Secundò in objectionibus libri Sinici indiſcriminatim citantur, ac ſi omnes ejuſdem eſſent auctoritatis, & fidei, & ſi quid objectis favens in illis inveniatur tanquàm antiqua & univerſalis Sinarum doctrina proponitur.

Reſpondetur quòd litteraria Sinenſium reſpublica multos habet, & graves Cenſores qui libros claſſicos, & cæteros eruditè & acutè examinant, & genuina loca à ſuppoſititiis ſecernunt, ideóque in citandis Sinicis textibus magnâ uti cautelâ neceſſe eſt, ne graviter erremus. De hac materia copioſus tractatus jam confectus eſt, & ſuo tempore divulgabitur.

Tertiò plura objiciuntur, quæ ex minùs benè percepto Sinicorum librorum ſenſu, ea affirment, quæ in adductis textibus verè non dicuntur.

Horum omnium copioſus catalogus, ſive juſtum volumen alibi exhibetur, ubi plurimi & graves lapſus in linguæ, & litteræ Sinenſium intelligentia referuntur.

Quartò. In iis, quæ opponuntur frequenter antiquorum, & claſſicorum librorum negligitur textus, Neotericis commentatoribus plus nimio adhæretur, & graviſſimè culpamur, quaſi verò nos pauci exteri Sinicarum rerum minimè periti indigenis plurimis valdè ſapientibus viris nos anteferre audeamus.

Hanc objectionem, & minimè meritam cenſuram multorum, & gravium Sinicorum Doctorum teſtata autoritas, quæ alibi adducetur infringet, & retundet. Hi enim firmiter ſtatuunt, ubi antiquorum, & claſſicorum librorum textus planum obvium, & clarum ſenſum exprimat, ad commentatores non eſſe recurrendum; iſti ſi quidem antiquam, & ſanam doctrinam ſubtilibus, & violentis interpretationibus plerumque penitùs deſtruxerunt.

Quintò multæ objectiones ex vocabulariis Sinico-Europeis, & ex ipſiſmet Sinicis dictionariis ad quæſtionum, de quibus agimus certiores ſententias ſtatuendas deſumptæ conficiuntur.

Reſpondetur quantum ad vocabularia Sinico-Europea, illa quidem non eſſe numeris omnibus

omnibus abſoluta, nec (ut linguam, & litteras Sinicas apprimè callentibus videtur) omninò perfecta fieri ullo modo poſſe, ratio eſt, quia Europeæ voces, ut plurimùm vel unam, vel paucas, & determinatas habent ſignificationes, ſi complexim cum aliis inveniantur multò plura ſignificant, & ſæpè ſæpiùs à ſingulari litteræ ſignificatione longiſſimè diſparata. Talibus tamen utimur vocabulariis in primis Sinicæ linguæ addiſcendæ initiis, tanquàm aliquâ ad perfectiora introductione. Si quis autem ad perfectam Sinenſium litterarum velit notitiam pervenire, ad vocabularia & libros Sinicos recurrendum eſt, & ibi pluribus annis improbo, & ſedulo labore inſudandum. Aliter quomodò de rebus Sinenſium plenum, & rectum judicium poterit quis efformare, qui eorum litteras non didicerit? quantùm ad vocabularia Sinica, hæc à modernis auctoribus concinnata ſunt, hi omnium ætatum, & omnium falſarum Sectarum libros citant, omnia mixtim, ſive falſa, ſive verâ ſint de litterarum ſignificatione proponunt. In tantâ autem variorum, & ſæpè contrariorum ſenſûum farragine quiſnam aliquid determinatum emere poterit; cùm præſertim eorum Auctores de antiqua Sinarum doctrina, & genuina litterarum ſignificatione afferenda, & declaranda tam parùm laborent? Hinc conſequitur vocabularia Sinica attentè, & cautè eſſe evolvenda, & magis ſæpè credendum aliis Sinicis Scriptoribus, qui de unaquaque materia magis ex profeſſo tractant, & diſtinctiùs

explicant, quæ in vocabulariis quaſi per tranſennam confusè, & indeterminatè prolata inveniuntur, totum hoc allatis exemplis evidenter probabitur.

Sextò ſæpè accidit, quòd circa controverſas materias Sinici textus inveniantur, qui rectam & ſanam doctrinam edoceant, & ècontra, alii textus occurrant, qui eidem ſanæ doctrinæ contrarium afferant. Impugnatores verò politici cultûs Confucii rectæ doctrinæ mentione prætermiſsâ, quæ apud Sinenſes Auctores falſa & erronea inveniunt, ac ſi eſſent omnibus Sinenſibus communia, ac univerſaliter recepta in ſuis tractatibus proponunt, & nonnullorum ſcriptorum nec non imperiti vulgi quoſdam errores in materiis, quas pertractamus, omnibus omninò Sinenſibus indifferenter attribuunt.

Ad hoc dicimus, quod iſta ſanæ, & rectæ Sinarum doctrinæ reticentia, præter quàm quod fideli integri facti narrationi maximè adverſatur & officit, ſtatum etiam quæſtionum ſummopere immutat, & earum rationi, & veritati conſonam deciſionem plurimum intervertit, ac impedit. Aliud enim ſtatuitur cùm univerſalis omnium error proponitur, & aliud quando error tantùm eſt imperiti vulgi, vel levioris autoritatis ſcriptorum ipſâ antiquitate, & ſaniori doctrina reclamante.

Septimò in Sinicis textibus, qui nobis objiciuntur ſæpè tropica locutio, quæ Sinenſibus eſt frequentiſſima invertitur, cùm autem hujuſmodi figuræ proprium vocum ſenſum in im-

proprium convertant cultûs politici &c. Impugnatores tropico , & improprio ſenſu relicto ad ſuas ſententias confirmandas proprium rigorosè adhibent ; & à vera textuum intentione maximè elongantur.

Ad hoc cum S. Auguſtino lib. contra mendacium c. 10 reſpondemus. *Qui hoc putat tropicis etiam tam multis locutionibus poteſt hanc importare calumniam ; ita ut hæc ipſa , quæ appellatur metaphora , hoc eſt de re propria ad rem non propriam verbi alicujus uſurpata tranſlatio poſſit iſta ratione mendacium nuncupari.* Hactenùs S. Auguſtinus , hoc autem contra quod Auguſtinus invehitur , quàm ſit irrationabile , nemo non videt.

Octavò ex laudibus , & encomiis , quæ de Confucio , & cæteris defunctis in exornativis orationibus & funebri panegyri à Sinenſibus proferuntur in objectionibus contra noſtras ſententias confectis in eo ſenſu plurima deſumuntur , ac ſi eſſent Sinenſis doctrinæ in cauſa hac certiſſima dogmata.

Hoc evidenter redarguitur , quia in Sinis immò , & ubique terrarum , in orationibus generis exornativi nihil eſt uſitatius , quàm ampullatæ phraſes , & hyperbolicæ dictiones, quæ ſi in rigore ſumantur falſæ ſunt , & ridiculæ , hunc loquendi modum Sinæ vocant . . *Hiu* . . *Ven* ; hoc eſt *vàcua oratio , & nihil ſignificativa* , & ſi quid exprimit , nil aliud eſt , quàm conceptum de viro defuncto deſiderium , & ardens in illum affectus , vel purè officioſa laus , & nomine , errore tenùs honorifica ur-

banitas ſuo loco clariſſimè demonſtrabitur, quantum ſeria Sinarum dogmata à meræ comitatis inanibus officiis intercedant.

Nonò objicitur nos ad tuendum poſitum Sinicorum librorum ſententias detruncatas, & diminutas citare contra debitam in adducendis autorum teſtimoniis fidelitatem.

Reſpondemus, quòd ſi in proferendis Sinicis textibus id quod ad punctum, & ſubſtantiam aſſumptæ quæſtionis pertinet, omittatur, hujuſmodi ſanè reticentia reprehenſibilis eſt, & contraria fidelitati, ſi verò hæc prætermiſſio ad aſſumptum thema non attinet, immeritò quidem ſugillatur. Nam ut Origenes ait in epiſtolam ad Romanos, *obſervanda eſt in hoc loco, & in cæteris conſuetudo Apoſtoli, quod non ſemper cum aliquid ex Scripturis aſſumit integrum textum verborum, ut in ſuo loco poſitus eſt, aſſumit, ſed ea tantùm, quæ præſentis cauſæ requirit aſſertio.* Ita Origenes apud Salmeronem tom. 1. Prolegomeno 9. quinquagena prima Canonum, mihi, pag. 508. & ibidem pag. 110. Idem Origenes inquit, ſciendum eſt &c. *Apoſtolum ex utroque loco excerpentem, quæ aſſertioni commoda videbantur aptaſſe:* hucuſque Origenes hujus reſponſionis fundamentum, & exempla ad extenſum alibi declarabuntur.

Decimò objectionum Achilles plerumquè in hoc, & quidem vehementiſſimè inſiſtit, videlicet ut Europeis à Sinico Regno toto Orbe diviſis, & Sinenſes mores, & ritus minimè callentibus perſuadeat ejuſmodi, in Confucii, & defunctorum cultu adhibitos ritus vel eſſe ſimplici-

ter, & intrinſecè ſuperſtitioſos, & Idolatricos, vel ſaltem de ſe malam ſpeciem præ ſe ferre, à qua juxta Apoſtolum oportet nos totis viribus abſtinere.

Reſpondetur quod hæc Apoſtolica, & divina doctrina *ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, debito modo intelligenda eſt. Gloſſa autem interlinearis Apoſtoli locum 1. Theſſalon. cap. 5. verſ. 22. Sic explicat, *ſi aliquid ſpeciem mali prætendit nolite præcipitanter agere*, igitur primum diligentiſſimè inquirendum, an dicti ritus mali ſpeciem, & ſimilitudinem verè præ ſe ferant. Conferantur hi cum quinque requiſitis ſacrificii, ut in primo articulo dictum eſt, & nequaquam cum his cohærere invenietur, quidquid in contrarium adhuc non probatum ſupponatur. Prætereà valdè conſiderandum eſt, an inter Sinenſes hujuſmodi ritus malam ſpeciem habeant, licet in Europa ex defectu notitiæ integri facti, & cæterarum circumſtantiarum omnimodè conſiderandarum illam habere forſitan videantur. Signa enim delati cultûs, & reverentiæ varia ſunt apud Nationes, & ſæpè quædam alicubi ſigna ſunt præſtiti honoris, & reverentiæ, quæ alibi ad contumeliam pertinent, & deſpectum v. g. barbam prehendere in quibuſdam terris eſt nota ſupplicantis, & venerabundi, in aliis probroſum eſt, & contumelioſum. Stigmata vultui inurere apud Thracios, Sarmatas, & Dacos erat nobilitatis inſigne; alibi ea inuſtio eſt ignominioſiſſima, & atrociſſima pœna fugitivis mancipiis, latro-

nibus, aliorúmque peſſimorum criminum reis inflicta; Europei adventanti aſſurgunt, & caput aperiunt. Japones illo adventante immoti hærent, nec caput nudant, ſed calceos exuunt. In Sinis verò gravis irreverentia eſt detecto capite hoſpitem alloqui. Apud cæteras plerumque Nationes ſaltatio eſt nota lætitiæ, Sinenſibus autem eſt etiam luctûs, & mœſtitiæ ſignum in funeralibus ritibus adhibitum. Propriiſſimè ad rem noſtram deſcendendo mactatio ſolemnis animalium in naturali, & ſcripta lege divina, & etiam apud Idololatras eſt forma ſacrificii, & apud Sinica-Tartaros, ut in primo articulo dictum eſt cultus evidenter politicus in hoſpitum honorem coram ipſis impenſus. Jejunium, lavatio corporis (excepto ad ipſiuſmet corporis commodum reſpectu) vel ſaltem manus, plerumque juxta operantis intentionem cenſetur opus vel religioſum, vel ſuperſtitioſum. Apud Sinas eſt etiam merè politicum, ſic legitur in lib. . . *Lun* . . *yu* cap. 14. quod Confucius Regem aditurus ad gravia cum illo negotiā tranſigenda priùs jejunavit, & corpus lavit, Confucii intentionem Commentatores hujus loci declarant, illam ſcilicet fuiſſe, ut negotii, quod non temerè, levitérque pertractare volebat gravitatem oſtenderet, item apud Mentium ſecundum apud Sinas poſt Confucium cap. 2. propè finem refertur cujuſdam viri ipſum Mentium inviſentis jejunium ante eundem colloquendum honoris causâ per actum, idem dici poteſt de politicis jejuniis, quæ fiunt in funeralibus defunctorum, non

tantùm apud Sinas, ſed etiam apud Græcos S. Chryſoſtomi ætate, ut videre eſt apud illum tom. 5. lib. 1. de compunctione cordis propè finem, ubi habentur plura lectu digniſſima circa funerum politicos ritus Sinenſibus in multis ſimillimos, ſed de his plenè aliàs. In præſens hæc breviter attigiſſe ſufficiat, ut oſtendatur quomodò cautè procedendum ſit, ne juxta citatam Gloſſam in ſpecie mala dijudicanda præcipitanter agamus.

ARTICULUS III.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .

Verſio hujus Textus,

Inſuper Chim Hoam munera offerre non convenit.

Circa hanc Pontificii decreti Sinicam tranſlationem plura notanda ſunt.

Primò ſciendum quod Sinicæ tranſlationis hæc latina verſio juxta litteræ . . *Ci* quam Interpres adhibet valde propriam exigentiam facta eſt. Hæc enim littera ut in primo articulo dictum eſt, de ſe eſt indifferens ad ſignificandum omnia cujuſcunque generis ſacrificia vel religioſa, vel ſuperſtitioſa, vel etiam mune-

ra politica. Hoc autem loco ad tollendam ſignificationis indifferentiam eidem nihil additur. Jure igitur eadem littera in hac Sinicæ tranſlationis latinâ verſione ſecundum propriæ ſignificationis latitudinem explicatur.

Si dicas quod in hoc textu hujus litteræ *Ci* determinatur indifferentia, eam applicando ad ſacrificium Idolo *Chim Hoam* fieri prohibitum, ideóque illam litteram non muneris, ſed ſacrificii juxta Sinarum intelligentiam manifeſtè contineat, Interpreti fatendum eſt, confusè, & æquivocè fuiſſe locutum cùm diſtinctionis gratia nihil addiderit.

Secundò hæc Sinica Pontificii decreti tranſlatio Autographi ſenſum nequaquàm declarat, Pontifex enim directè reſpondet ad ſibi propoſitum à P, de Morales quæſitum 7. ubi interrogat, an liceat Sinenſibus Chriſtianis Idolum nomine *Chim Hoam* externo tantùm cultu adorare, ſanctam Crucem in manibus occultè ferendo, vel illam inter flores ſacrilegi Altaris abſcondendo, intentione ad eam, non autem Idolum adorandum directâ. Ad hoc ſummus Pontifex reſpondet nullo modo hoc licere. Tranſlatio verò Sinica hujus quæſiti, & reſponſi ſenſu penitùs prætermiſſo, ſedis Apoſtolicæ nomine Sinenſibus fidelibus denunciat, ab illa prohiberi, ne Idolo *Chim Hoam* munera offerantur. Hoc autem à quæſiti, & reſponſi ſenſu eſt longè alienum, aliud enim eſt Idolum externè adorare, & aliud, ut Sinici textûs verba ſonant, & Sinenſes intelligunt, illi munera offerre.

Tertiò

Tertiò per hanc Sinicam tranſlationem Sinenſes Neophyti defraudantur notitiâ in fide rudibus ſummè neceſſaria in Pontificio reſponſo propoſitâ, quod non ſolùm Idololatria interna eſt illicita, ſed etiam externa, quodque hæc verba nullo modo fiat licita per ſimulatam ſanctæ Crucis delationem, intentione ad illam tantùm adorandam directâ.

Quartò Neophytos eadem tranſlatio ad facilè ſibi perſuadendum inducit, ſanctam Sedem politicum Confucii, & defunctorum cultum, à ſacrilego cultu Idoli *Chim Hoam* nequaquàm diſtinguere cum eadem loquendi formula utrumque prohibeat, & cum Sinenſes Confucium, & Majores defunctos politicè, & civiliter ſe venerari evidenter ſciant, rudes Neophyti fortaſsè hìnc arguent Idoli *Chim Hoam* cultum eſſe pariter politicum, ideóque per ſe licitum.

Quintò hoc idem ſatis apertè probatur, & confirmatur, quia Tranſlatio Sinica Pontificiam declarationem Neophytis proponit ſuper illicitum cultum externè prohibitum *Idolo Chim Hoam munera offerre non convenit.* Hæc autem dicendi formula, ut patet præceptiva non eſt, nec Dei ullo pacto violabilia præcepta ſimili modo proponenda, vel declaranda ſunt.

Sextò deniquè evitari certè non poteſt, quin per hanc Sinicam tranſlationem Sinenſes Chriſtiani non minùs acerbo, quàm juſto dolore maximè conficiantur, atque turbentur, dum in illa vident ſuum Magiſtrum Confucium,

de quo P. de Morales, ejúſque aſſeclæ incredibilia ſanè præconia texunt, ut videbitur cap. 4. & majores defunctos in Idolorum claſſem juxta dictam tranſlationem à ſummo Pontifice adnumerari, vel ut meliùs dicam amariſſimè conqueri poterunt de peſſima apud Apoſtolicam Sedem ſibi irrogata calumnia, quaſi verò cum Domini cultu execrabilem etiam Idolorum cultum tanquàm Samaritani permiſceant ipſimet Sinenſes infideles litterati, acerrimi ut plurimùm Idolorum oſores, ſi hoc reſciant, in quaſnam furias non agentur? In quænam ſanctæ legis improperia non exilient?

Ex dictis concluditur, & manifeſtum fit, quod præſentis articuli Sinica tranſlatio eſt maximè obſcura, æquivoca, diminuta, & Autographo plurimùm diſſona, licèt ſummi Pontificis nomine fuerit Chriſtianis denunciata, & tandem eſt eiſdem graviter injurioſa.

ARTICULUS IV.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .

Verſio hujus Textus,

Tempore prædicationis omnia ad Domini noſtri Jeſu Incarnationem, mundi Redemptionem, & Paſſionem pertinentia convenit promulgare, & Jeſu Crucifixi imaginem in Domini altari erigere convenit.

SInica hæc Pontificii decreti tranſlatio eſt notabiliter diminuta, quia ſubſtantialiter neceſſarias Autographi particulas ſilentio involvit, ac ſupprimit, ſacra enim Congregatio & ſummus Pontifex declarant ad actualem de Chriſti Domini paſſione prædicationem in ſingulis concionibus faciendam Miniſtros Evangelicos non teneri, ſed primùm baptiſmo omninò præmittendam, deindè prudenter, & opportunè proponendam eſſe decernit. Interpres verò in ſua Sinica tranſlatione has adeo neceſſarias circumſtantias, & conditiones tacitùs præterit, & ſuâ taciturnitate maximum Neophytis offendiculum parat.

Hoc probatur, quia ex dicta reticentia

Neophyti impelluntur ad firmiter ſibi perſuadendum ſanctæ Sedis intentionem eſſe, ut ſemper, & ubique ſine ulla prudentia, & opportunitate de Chriſti Domini Myſteriis fiat prædicatio. Ad quid enim (ipſi ratiocinabuntur, ſummus Pontifex ſingularis ſuæ voluntatis indicio, ne dicamus mandato, mandati enim ſive præcepti in Pontificiis reſponſionibus Sinicè tranſlatis nulla fit mentio, de Chriſti Domini Myſteriis, prædicationem adeò inculcat, cùm noſtri antiqui Patres à primo in Sinas ingreſſu Chriſti ad mundi Redemptionem, Adventum, Paſſionem, Crucem, & cætera ejuſdem ſacra myſteria, & doctrinam tam ante quàm poſt Baptiſmum opportuno quoque tempore ore per Catechiſmum, & conciones, ſcripto per plurimos libros apud nos diſſeruerint, diſtinctè uſque ad ultimas minutias explicuerint, & dubia omnia, quæ circa hoc excitari poterant, ad cujus captum abundè diſſolverint, plures confraternitates ſub titulo Paſſionis Domini inſtituerint, ubi de hoc ſanctiſſimo Myſterio fiunt conciones, ſacræ preces, meditationes, unà cum variis corporis afflictionibus in ejuſdem honorem peractis; hoc igitur novum Pontificiæ voluntatis tam expreſſum, & ſingulare judicium, majora adhuc procul dubio à nobis requirit; ſemper igitur, & ubique Dei incarnati, & paſſi prædicatio à nobis eſt audienda: primi etiam apud nos divinæ legis Prædicatores non perpetuò de hoc concionantes graviſſimè peccarunt, & ſuo muneri plurimùm defuerunt.

Huic Neophytorum non prorsùs malè fundato in Sinica Pontificii decreti tranſlatione argumento , quid in contrarium dici poſſit non video. Cæterùm planè conſtat per ſuperiùs relatam Sinicam interpretationem ſummi Pontificis , & ſacræ Congregationis prudentiſſimum , ac ſanctiſſimum reſponſum puſillorum ſcandalo minùs cautè exponi.

Quod autem ad factum rei , de qua agimus ſpectat, ſciendum eſt Patres Societatis anno Domini 1581. Sinas ingreſſos in prædicatione Evangelica, ſtatim de Incarnationis, Paſſionis , & Crucis Myſteriis verba feciſſe , prætereà ſtatim de eodem argumento libros typis mandaſſe , & uſque ad hæc tempora hoc idem continuaſſe. Ad majorem hujus veritatis evidentiam ſubjiciam hìc Catalogum noſtrorum Auctorum , qui de Incarnatione, Paſſione, & Cruce Domini Sinicè ſcripſerunt uſque ad annum 1642. quorum notitia ne contra manifeſtam veritatem erraret , haberi , & poterat , & debebat à P. de Morales , antequàm ſua quæſita Romam afferret , ibique proponeret , quod fecit anno 1644.

Catalogus Auctorum noſtræ Societatis , qui Sinicè ſcripſerunt de Incarnatione , Paſſione , Cruce , & morte Chriſti Domini ab anno 1584. uſque ad annum 1642.

Pater Michael Rogerius in ſuo Catechiſmo nomine *Xe lo* cap. 11. agit de Chriſti Incarnatione , Paſſione , & morte in Cruce , editus eſt hic liber anno 1584. quarto ſcilicet anno à noſtrorum ingreſſu in Sinas.

P. Matthæus Riccius in libro typis dato anno 1603. cui nomen *Xe y* cap. 8. agit de Chriſti Domini Incarnatione, Paſſione, & morte.

P. Didacus Pantoya in explicatione Symboli latè agit de Domini Incarnatione, Paſſione, & morte. Datum eſſe hunc librum in lucem circa annnm 1610. conſtat ex Tractatu de origine primi hominis, qui ſimul cum eadem Symboli explicatione excuſus fuit. Item in Manuali ſacrarum precum habetur ejuſdem Patris integra, & compendioſa narratio Dominicæ Paſſionis.

P. Joannes de Rocha in Catechiſmo ſub titulo *Ki mum* in declaratione Symboli agit de Chriſti Incarnatione, Paſſione, & morte. Item in tractatu, & praxi recitandi Roſarii latè explicat quinque Myſteria, quæ vocantur doloroſa, & apponit ſacras imagines Chriſti Paſſionem, & Crucifixionem exprimentes. Obiit hic Pater anno 1623. Hinc apparet ſua opera edidiſſe non longe ab hujus ſæculi 17. initio.

P. Nicolaus Longobardus edidit Manuale ſacrarum precum ad uſum Neophytorum ubi habentur plures orationes, & meditationes de Chriſti paſſi Myſteriis. Hoc Manuale citatum in Catechiſmo P. Joannis de Rocha, ideóque ante dictum Catechiſmum publicæ luci datum eſt.

P. Gaſpar Fereira edidit meditationes ſuper quindecim Roſarii Myſteria, ubi agit de Incarnatione, Paſſione, & morte Domini.

P. Jacobus Rho edidit tractatum ſuper ſalutationem Angelicam, ubi plurima de ſanctiſ-

ſimo Jeſu nomine ex D. Bernardino, & aliis devotè, & eruditè proſequitur.

P. Alphonſus Vagnoni in explicatione Symboli in vita Beatæ Mariæ Virginis, in vitis ſanctorum præcipuè Apoſtolorum, & alibi paſſim agit de Chriſti Incarnatione, Paſſione, morte &c.

P. Joannes Foes in lucem dedit Litanias ſacratiſſimæ Paſſionis Domini noſtri, & alias preces ad quinque dominicas plagas. Item in libro de præparatione ad bonam mortem plura habentur de Paſſione, Cruce, & morte Chriſti, & præſertim compendium Dominicæ Paſſionis.

P. Rodericus de Figueredo edidit Manuale precum, cui nomen *Cum to. Nuy Kim*, ubi plura habentur de ſacra Chriſti Domini Paſſione, & morte.

P. Emanuel Diaz in explicatione Evangeliorum ſeptem tomis contenta, & anno 1636. edita de Chriſti Domini Incarnatione, & morte, ejúſque ſanctiſſima Cruce, & morte, concionatoriè pertractat adductis plurimis utriuſque Teſtamenti, & ſanctorum Patrum locis copiosè, & eruditè: item proponit omnes difficultates, & objectiones, quæ contra hoc myſterium opponi poſſunt, & omnia diluit, & declarat. In aliis ab eodem Patre confectis libris plura alia de hoc eodem Myſterio inveniuntur, & potiſſimùm in Thoma de Kempis Sinicè tranſlato.

P. Julius Aleni anno 1635. edidit hiſtoriam Evangelicam octo libris comprehenſam & penè

ad verbum ex ſacris Evangeliſtis deſumptam. Item anno 1637. typis dedit librum ſacrarum Imaginum, quæ totam Chriſti Domini vitam, Paſſionem, Crucifixionem, & mortem repræſentant ad imitationem ſimilis libri P. Hieronymi Natalis in Europa excuſi. Item in lucem dedit integrum volumen, ubi unicè tractatur de Incarnationis, & Paſſionis Dominicæ Myſteriis dogmaticè, & diſputativè contra Gentiles &c.

P. Joannes Adamus Schal anno 1642. in opere cui nomen eſt *Chu Xiao y ven Ki*, id eſt *Legis Domini prima inſtitutio tom.* 4. pene per totum diſſerit de Chriſti Incarnatione, Paſſione, & morte, & Gentilibus objecta diſputando diſſolvit.

Hunc Catalogum penè totum deſumpſi à quodam manûſcripto, quod in Archivio hujus noſtræ Provinciæ aſſervatur; & à P. Julio Aleni anno 1642. fuit confectum. Omitto penè innumerabilia loca, quæ in noſtris Sinicis libris lectori paſsìm occurrunt, ubi ſaltem incidenter de Chriſti Paſſione, Cruce, & morte fit mentio, ita ut verè dici poſſit, eoſdem libros ubique, & per omnes modos dicta ſacra myſteria perſonare, Chriſti ejúſque Crucis honores, & laudes prædicare, omnéſque Mortales ad ejus cultum, & imitationem invitare, & pertrahere. Item prætermitto plures antiquos Chriſtianos litteratos Sinenſes, qui in libris ſuis de eadem materia copioſè ſcripſerunt, typíſque mandarunt. Supra relata opera, & lucubrationes publico Neophytorum uſui à noſtris

noſtris Patribus editæ ſunt, ut dictum eſt, ab ipſo Sinenſis Miſſionis initio uſque ad annum 1642. & plures ex iis, quaſi ad conſpectum P. de Morales in Provincia *Fokien* degentis, & propè Urbem *Fokeu*, ubi P. Aleni prædictos libros typis tradebat, & non longè ab urbe *Ham Cheu*, ubi P. Emanuel Diaz eodem tempore Evangeliorum commentaria excudebat. Cum igitur Sinenſes omnes Chriſtiani per tam diuturna tempora Dominicæ Incarnationis, Paſſionis, & Crucis myſteria tanquàm lucidiſſimum ſolem in clara meridie coruſcantem in noſtris libris conſpicerent, & manû palparent, ſolus P. de Morales, ejúſque Aſſeclæ ad hanc potentiſſimam lucem cæcutierunt, nec unum quidem ex citatis libris apicem perlegerunt, ſi enim legiſſent, quomodò tam religioſi Patres ad nos in re graviſſima falsò accuſandos animum induxiſſent? Ex qua autem cauſa, quorum zelo ad nos incuſandos abrepti, idem Pater, & ſocii fuerint, æquo rerum ponderatori decernendum ſino. Certum eſt quod iidem noſtros Patres Sinenſes primùm apud Illuſtriſſimos Philippinarum Eccleſiarum Præſules efficaciſſimè accuſarunt, ſed cum iſti eoſdem ad ſummum Pontificem Urbanum VIII. detuliſſent, quaſi verò Chriſtum, ejúſque Crucem erubeſcentes, quidquàm de ejus Myſteriis Sinenſibus negligerent prædicare, & non longè poſteà cùm de falſitate accuſationis certiores facti fuiſſent, ſtatim apud eundem ſanctiſſimum Dominum palinodiam cecinerunt. Hac verò retractatione neglectâ P. de Morales P...

mam advolavit, & quæ ibi dixerit, egerítque, ejus quæſita ibi propoſita ſatis ſupérque declarant. Benevole Lector, quæſo te, ex præcitato Catalogo inferas, quâ veritate, & documentis innixus P. de Morales ſuorum quæſitorum factum apud ſummum Eccleſiæ judicem ipſe probaverit, & quas juſtiſſimas quærelas circa hoc afferre poſſimus.

Quod verò ad Chriſti Crucifixi ſacram Imaginem in Eccleſia exponendam pertinet, dicti Patres Societatis hanc quæ ſequitur praxim ab initio Miſſionis, uſque ad hæc tempora ſervaverunt, & ſervant, cùm Eccleſiæ Sinenſes publicæ ſint, & fidelibus, Ethnicisque æquè pateant, Imaginem Salvatoris, orbicularem mundi figuram in manu geſtantis, ſive Imaginem Beatæ Mariæ Virginis parvulum filium amplectentis, & ferè eſt illa, quæ apud S. Mariam Majorem Romæ colitur, vel alias ſimiles in Altari juxta morem collocatas habent; prætereà ibidem ſacram Chriſti Domini Crucifixi imaginem ſive formatam Crucem ſemper expoſitam ſervant. Tempore verò ſacræ Hebdomadæ in concione de Paſſione Imaginem Chriſti Crucifixi à fidelibus adorandam in Altari exponunt, & in adoratione Crucis in medio Eccleſiæ collocant. Ad hanc ſolemnitatem Fideles omnes accurrunt, & devoto cordis affectu, non ſine copioſis lacrymis ſanctiſſimum Crucifixum piiſſimè & teneriſſimè adorant, & oſculantur. Inſuper ut Chriſti Crucifixi memoriam in Chriſtianorum cordibus profundiùs im[illegible]rur, cujuſque generis Chriſti paſſi, &

Crucifixi imagines in maximo numero eiſdem diſtribuunt, ut in domeſticis Oratoriis collocent, & colant. His induſtriis Fidèles erga Chriſtum Crucifixum ſunt impenſiſſimè addicti, & hujuſmodi ſacrarum Imaginum avidiſſimi.

In publicis autem Eccleſiis Crucifixi Imaginem ſemper expoſitam habere iidem Patres pro nunc in opportunum judicant, & in hoc ſummi Pontificis mentem attingere, & Eccleſiæ morem perfectè ſervare arbitrantur. De Pontificis mente in Autographo reſponſionum de quibus agimus, conſtat, de antiquæ Eccleſiæ more in plurimis Eccleſiaſticis libris paſſim notatum invenitur. Conſulatur potiſſimùm Doctiſſimus, & eruditiſſimus Vir Dominus Ferdinandus de Mendoza in egregio illo opere, quod de confirmando Concilio Illiberitano typis edidit, ex plurimis, quæ ibi latè ipſe proſequitur; hæc quæ ſequuntur carptim, excerpſi.

Mendoza igitur lib. 3. cap. 5. in expoſitione Canonis 36. (ſive ſecundùm aliam ſuppoſitionem 37.) ejuſdem Concilii, qui ait, *placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Inter varios hujus Canonis ſenſus, Mendoza hunc refert, quòd ſcilicet Epiſcopi benè ſciebant ſacras Imagines religioſè coli debere, & omninò colebantur non interiori tantùm, ſed exteriori, & publico fidelium cultu, ſed abſtinebant ad tempus, ne picturas ſanctorum hominum contemptui Gentiles haberent, vel ſibi falsò per-

ſuaderent illos à Chriſtianis, ut veros Deos latriæ veneratione coli, ut Euſebius lib. 8. Eccleſiaſt. Hiſtor. c. 6. refert, quoad Imagines Chriſti Crucifixi eas in parietibus, Eccleſiæ pingi noluerunt, ne Ethnici vel Cathecumeni ſimpliciores, vel qui ad intima Chriſtianæ Religionis adhuc non penetraverant, hominem mortuum, & Cruci affixum à Dei inviſibilis, & impaſſibilis natura alieniſſimum eſſe crederent, Auctorémque Chriſtianæ Religionis ſpernerent, ut Arnobius & Minutius aſſerunt, non tamen negat Canon Imagines Chriſti depingi poſſe, & ſuo tempore, & loco debitâ adoratione à Chriſtianis coli debere.

Addit Mendoza ex Euſebio lib. 4. c. 8. & Nicephoro lib. 4. c. 5. Quod Adrianus Imperator ex perſecutore Chriſtianorum cognitâ ipſorum innocentia, factus eorum fautor, Chriſtianis templa extrui juſſit Chriſtianæ Religionis tunc uſu, & forma, ſine ſimulachris Dei veri, & corporei, ne ſimilia ſuis idolorum grege refertiſſimis delubris, noſtra templa profanæ gentes arbitrarentur, & ne Chriſtianis pro gratia exhiberet ipſe moleſtiam, ſic in ejus vita teſtatur Lampridius. Hac de cauſa illa Templa, quod numina ſive Imagines non haberent uſque ad tempus Conſtantini Magni Templa Adriani nuncupata ſunt. Nec Romæ tantùm hoc Catholici viri obſervabant, ſed & in reliquis Provinciis: hoc autem irridebant gentes, objicientes nobis, quod nullam Dei formaremus picturam, & occultaremus quod colebamus, legantur Minutius Felix, Ar-

nobius , Tertullianus , Juſtinus , Lactantius.

Non ſolùm occultiora humanitatis Chriſti Myſteria publicè in Eccleſiæ parietibus pingi antiquæ Eccleſiæ Præſules non permittebant , verùm nec alia Chriſtianæ Doctrinæ myſteria litteris conſignari , vel palam , publicéque doceri, fas eſſe cenſebant , ne inſanis Ethnicorum ludibriis , & riſu exciperentur. Ita Sozomenus lib. 1. hiſt. Eccl. c. 19. Dionyſius Areopag. de Eccleſiaſt. hierarch. initio c. 1. Iſidorus lib. 2. de Off. Eccl. c. 21. Ambroſius Epiſt. 33. & Tertullianus lib. de præſcript. adverſus hæreſes c. 41. Hæreticis veluti rem pudendam objicit, quod Ethnicis, & Catechumenis Catholicæ Religionis myſteria , quemadmodum, & fidelibus communia facerent ; videatur inſuper Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. 2. ad Corinth. cap. 1. Baſilius de Spiritu ſancto c. 27. Auguſtinus tract. 11. & 16. in Joan. Iſidorus lib. Ethimolog. c. 17. & Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hierarch. p. 3. c. 3.

Prætereà apud antiquam Eccleſiam Cathecumeni ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento conficiendo aſſiſtere non poterant , & ab ejus aſpectu prohibebantur , ut Baſilius , & Auguſtinus locis ſuprà citatis ; Concilium etiam Laodicenum c. 19. & Chryſoſt. homil. 79. de oratione teſtantur. Item eoſdem Cathecumenos benedictionem ſimul cum fidelibus ſuſcipere noluit, ſed tantùm ſeparatim. Concil. Arauſ. primum can. 13. & 15. juſſis etiam defunctorum exequiis , orationibus , & ſepulturæ

intereſſe iidem vetiti erant, ut aſſerit Areopag. de Eccleſiaſt. Hierarch. p. 2. c. 7. Dequè tanta erat in celandis Sacramentis Religio, ut in concionibus publicis, à quibus Cathecumeni, & Gentiles non arcebantur, nunquàm propriis nominibus Sacramenta coram illis exprimerentur, ſed eam formulam uſurpabant, qui concionabantur quæ ſolis fidelibus cognita erat, quaſi illis tantum divinitatis, & religionis arcana pandenda forent, Ethnicis autem, & Cathecumenis occultanda, & reticenda. Qua forſan ratione Concilii Illiberitani Patres ad exprimendam imaginem Chriſti in citato Canone abſtinuiſſe, inſinuaſſe tamen Chriſtianis, latente illorum verborum ſenſu, ne quod colitur, & adoratur, veriſimile eſt ut ſi decreta in Ethnicorum manus forſan incidiſſent, compertum non haberent.

Hæc & plura alia vide apud citatum Mendozam.

Prætereà in præſentis articuli Sinica tranſlatione maximè advertendum eſt, quod cùm P. de Morales in ſuo 17. quæſito ſacram Congregationem, & ſummum Pontificem tantùm interrogaverit, an Miſſionarii Chriſtum Crucifixum prædicare, ejúſque ſacras imagines maximè in Eccleſiis exponere, & cohærenter ad interrogata reſponſum acceperit, ſolùm circa Chriſti Domini Paſſionem ſuo tempore prædicandam, ejúſque Crucifixi ſacram imaginem opportunè exponendam, in Sinica autem reſponſi tranſlatione illud maximè dilatatur, nam S. Sedis nomine Miſſionariis denuncia-

tur, ut ſcilicet Chriſti Domini Incarnationem, Redemptionem, & Paſſionem Sinenſibus prædicent, & promulgent, quaſi verò ſpiritus oris, & cordis noſtri Chriſtus Deus, ſub cujus nomine in ejus Societate militamus, & ſub cujus umbra vivimus in gentibus ante nos, & à nobis proſcriptus ſit, & de illo abſolutè, & univerſim loqui olim erubuerimus. Deus bone? quiſnam æquo animo, & ſilenti ore tam enormem ſufferre poterit falſitatem à Pontificii decreti verbis, & mente, & ab ipſamet veritate alieniſſimam? Sinicas noſtrorum ſcripturas ab ipſo hujus miſſionis initio in lucem datas quiſquis voluerit perſcrutetur, & ſole clariùs inveniet, quàm glorioſum, quàm honorificum, & quàm integrum, atque copioſum in genere dogmatico, aſcetico, & hiſtorico de omnibus, & ſingulis Chriſti Domini, & potiſſimùm ejus ſacratiſſimæ Paſſionis, & Crucis Myſteriis teſtimonium ipſæ perhibeant. Tam multæ, & clariſſimæ ibi extant hujus veritatis atteſtationes, ut intollerabilis hujus falſitatis os impenetrabiliter obturare ſufficiant, & ſuperabundent.

Ex dictis igitur manifeſtè patet, quàm immeritò, quâ diminutione, perverſione, verborum, & ſensûs, & quo fidelitatis, & veritatis defectu prudentiſſimum ſummi Pontificis, & ſacræ Congregationis reſponſum circa Chriſti Crucifixi prædicationem, ejúſque ſacræ Imaginis publicam expoſitionem contra ipſiuſmet ſummi Pontificis mentem, & antiquæ Eccleſiæ adeò laudabiles mores in Sini-

cam linguam tranſlatum fuerit, & Sinenſibus Neophytis ſedis Apoſtolicæ nomine propoſitum: Inſuper conſtat, quàm falsò, nè ampliùs dicam, apud ſacram Romanam Curiam delati, & quàm graviſſimo noſtræ famæ diſpendio ubique terrarum calumniis impetiti ſimus, nobis imponendo, quod Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum apud Sinas non prædicaverimus. Poſſem hìc prætereà referre inconſultiſſimum, eundem Chriſtum Crucifixum, prædicandi modum à noſtris Impugnatoribus non ſemel in Sinis adhibitum, ex quo non animarum converſio ſecuta, ſed maximæ turbæ, & tumultus excitati ſunt, & eorundem Prædicatorum carcerationes, verberationes, & exilium indè ſubſecutum non equidem propter Chriſtum, quem illi recens appulſi, & in Sinico idiomate adhuc elingues annuntiare nullatenùs poterant, ſed eò quia per compita, & plateas Crucifixum manu, vel in pectore gerentes irruperunt, ne à Sinis, quid ſibi velint, intelligebantur, & quo talis oſtenſio imaginis tenderet, neſciebant. Ipſi ſanè Patres hunc errorem poſteà ingenuè confeſſi ſunt, & ex eorum originalibus epiſtolis, quæ apud nos extant, ad noſtros miſſis evidenter conſtat.

ARTICULUS

ARTICULUS V.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .

Verſio hujus Textus;

Majorum defunctorum Tabellas exponere Chriſtianis non convenit.

HÆc proculdubio eſt ipſiſſima P. de Morales, ejúſque aſſeclarum tenaciſſimè propugnata ſententia, ſed minimè cum decreti Pontificii verbis, & ſenſu concordat; immò verò eidem plurimùm adverſatur; ſummi enim Pontificis, & ſacræ Congregationis circa has tabellas duplex habetur reſponſum, primum extat in reſponſione ad quæſitum 11. dicti P. de Morales, ubi ſic habetur. *Cenſuerunt omninò non licere habere illas tabellas in vero, & proprio Altari majoribus dicato.* Secundum in reſponſione ad quæſitum 12. ubi ſic dicitur, *in quæſito contenta* (inter quæ etiam defunctorum tabella refertur) *Si contineantur intra limites obſequii filialis, & politici eſſe toleranda.* Utroque hoc reſponſo cum Sinica hujus articuli tranſlatione collato clariſſimè conſtat, quod id quod Sedes Apoſtolica ſub determinata conditione permittit ac tolerat, dicta tranſlatio abſolutè ne-

gat, & ejuſdem ſanctæ Sedis nomine Sinenſibus expreſsè prohibet. Hoc autem an ſit decreta Pontificia in Sinicum idioma fideliter vertere vel illa pro libitu pervertere, cæteri judicent. Si integrè & fideliter relata decreta Sinenſibus Chriſtianis fuiſſent propoſita, ipſi ſtatim argumentarentur, & inferrent: tabula illa, vel menſa ſupra quam defunctorum tabellas collocamus, nequaquam eſt Altare, ſed menſa communis, & eodem nomine . . *cho* . . *cu* dictam menſam, ac cæteras communes, & vulgares menſas appellamus. Altare ſoli Deo verò, vel falsò putato Deo erigitur, in eoque, vel verè ſancta, vel ſacrilega ſacrificia conficiuntur, & offeruntur. Hos majores noſtros defunctos in Deorum numerum nullatenùs referimus, nec ipſimet Ethnici hoc faciunt, pro ſuis enim defunctis ſacrificia, & preces malis ſpiritibus, ſive Idolis offerunt, ut ab inferorum ſuppliciis illi liberentur. Ea autem munera, quæ in noſtrorum majorum honorem ante illorum memorias, id eſt tabellas exhibemus noſtri amoris pignora, & grati erga illos animi ſigna ſunt merè officioſa, & politica, & nil aliud. Igitur per S. Sedem appoſitâ conditione ad amuſſim ſervatâ, cur quæſo, quod ab eadem nobis indulgenter permittitur, ab ejus reſponſionum, & decretorum Interprete nobis abſolutè denegatur? manifeſtè patet, Interpretem non quæ Dei, non quæ noſtra, ſed quæ ſua ſunt quærere, & palliato ſummi Pontificis nomine, quæ nobis ſupremus,

ac piiſſimus Pater benignus indulſit, ille vio- "
lenter ſurripit, nobiſque illudit. An hujuſ- "
modi Neophytorum expoſtulationes juſtæ "
ſint, an non, æquo & pacato animo cui- "
cumque judicandum relinquo. "

Cæterùm quod Tabellæ defunctorum apud Sinas tantummodò ſint illorum repræſentatio, & memoriæ eorundem excitatio, & nihil ſuperſtitioſum ex ſua inſtitutione contineant in peculiari, & quidem copioſo tractatu demonſtrabitur, & omnia contra hoc objecta abundè diluentur.

ARTICULUS VI.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .

Verſio hujus Textus,

Pecuniam alteri fœnerare non convenit.

AD meliorem hujus articuli intelligentiam, & ad certius de eo efformandum judicium, duo præmittenda ſunt. Primum quod hæc latina dictio, *Pecuniam alteri fœnerare* in tota ſua latitudine, atque genericè ſumpta, ſignificat pecuniam alteri tradere, ad lucrum ex ſorte, ut aiunt recipiendum, ſive hoc fiat juxta, vel contra juſtitiæ leges, adeóque indifferens eſt ad ſignificandum ſive licitum, ſi-

ve illicitum fœnus, hoc facilè probari poteſt ex latinæ linguæ ſcriptoribus, & dictionariis, ex moralis Theologiæ Doctoribus de fœnore tractantibus, ut ex ſacræ ſcripturæ commentatoribus in locis, ubi hoc nomen fœnus, vel verbum fœnerare inveniuntur ſecundum hæc Sinica dictio . . *fam* . . *ly* . . *cien*, ſive . . *fam* . . *cien*, utraque enim in communi uſu Sinarum eundem ſenſum refert, ſuperiori latinæ dictioni, *Pecuniam alteri fœnerare*, niſi aliud addatur omninò correſpondet cum hac tantùm differentia, quod latina dictio in malum ſenſum ſæpè ſæpiùs accipitur, Sinica verò locutio niſi aliud addatur in bonum ſenſum ſemper accipitur.

His poſitis, ſi præſentis artticuli Sinica tranſlatio cum Romano Autographo conferatur, utriuſque maxima diſcrepantia manifeſtè colligitur. In tranſlatione quidem, ſummi Pontificis nomine Neophytis denunciatur ipſum decreviſſe, ut iidem abſolutè, & ſimpliciter, & ex conſequenti quocunque modo ſive licito, ſive illicito pecuniam alteri non fœnerarent; in Pontificii autem decreti Autograpnho ad quæſitum 3. Patris de Morales, de juſta & licita fœneratione pecuniæ ſtatuitur, & in quo lucri juſti recipiendi radix conſiſtat, & cauſa declaratur. Cum ergo de hoc in Sinica tranſlatione mirum ſervetur ſilentium, clarè patet, in quas anguſtias, & conſcientiæ ſcrupulos miſeri Neophyti redigantur, cum illis falsò aſſumpto Pontificio nomine, & eâdem planè formulâ, quâ in 3°. articulo Idolo *Chim*

Hoam ſacrificia offerre interdicitur, in hoc præſenti textu id illis prohibeatur, quod cæteris fidelibus ubique terrarum ad cujuſcunque arbitrium exercendum relinquitur.

Ut verum fatear, mihi certius eſſe videtur relatam Sinicam tranſlationem non eſſe interpretis intentioni conformem, ſed tantùm ex ſibi non benè parata Sinicæ linguæ, & litterarum debita notitia proceſſiſſe, etenim difficile creditu videtur in hunc errorem illum ſcientem, & volentem impegiſſe.

Ex hoc ipſo validum poteſt confici argumentum, ſcilicet quòd ſi in materia tum gravi ad explicandum tum facili, & à qua malè explicata immania ſubſequi poſſunt inter Neophytos ſcandala, & animarum detrimenta, nihilominus huic tranſlationi Auctor ſuo muneri adeò defuit, quid dicendum, & ſuſpicandum eſt, de omnibus, & ſingulis ſeptemdecim quæſitis à P. de Morales Romæ propoſitis, cum ad ea juxta rei veritatem explicanda, non ſolùm communium, & vulgarium Sinenſis linguæ locutionum, ut eſt ea, de qua hìc agimus, perfecta ſcientia requiratur, ſed inſuper ſummoperè neceſſarium ſit plura, ne dicam plurima Sinenſium litterarum millena, earúmque omnium, & ſingularum, ſive complexim, ſive disjunctim multiplices implexos, & æquivocos ſenſus, non tantùm ex communibus vocabulariis bene percipere & aptiorem, & ſubjectæ materiæ congruentiorem ſenſum ſeligere, præterea oportet longè diuturno, & improbo ſtudio plurimorum antiquorum, &

modernorum Sinenſium volumina pervolutare, conferre uniuſcujuſque auctoritatem, æqua lance perpendere, opera genuina à ſuppoſitiis ſegregare, tempora in quibus fuêre deſcripta attentiùs advertere, quæ dogmaticè, quæ poëticè, quæ ſeriò, quæ officiosè, quæ propriè, quæ figuratè perſpicaciter ponderare. Item ritus, & mores Sinicos Europæis ut plurimùm valdè oppoſitos; & primâ facie, ſeu rationi diſſonos, ſeu vanos, in rei tamen veritate, nec ratione, nec ſolido fundamento deſtitutos adæquatè dignoſcere, eorum inſtitutionis tempora, & cauſas perſcrutari, illorum formale objectum, & conſtitutum à temerè adjectis accidentibus ſecernere, communiter receptos, à communiter reprobatis, ſuperſtitioſos à politicis, permiſſos Chriſtianis, vel interdictos radicitùs indagare, & conſideratè diſtinguere. Cùm hæc omnia ut plurimùm Quæſitorum auctori, & pluribus ejus aſſeclis defuerint, immò vulgarium, & tritiſſimarum Sinenſium locutionum ſenſus illos ſæpè latuerit, quomodò ipſorum dictis tutò, & indubitanter credi poſſe jure merito judicabitur?

ARTICULUS VII.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .
. . . .
. . . .

Verſio hujus Textus,

Tempore Baptiſmi convenit, ut ſacerdos omnes mulieres ſancto Oleo vice alterius inungat, & ſanctum ſal guſtandum eiſdem præbeat, & in eorum mortis articulo convenit, ut vice alterius ſanctum Oleum, iis conferat.

IN hac Sinica tranſlatione quatuor conſideranda ſunt.

Primò. Interpretem reticere, & intactam præterire ſummè neceſſariam particulam in decreti Autographo contentam, ſcilicet, ut *quantum in ſe eſt*, Sacerdos dicta ſacramentalia & Sacramentum extremæ Unctionis mulieribus conferre nitatur. Hæc autem particula nobilem ſub ſe continet ſenſum, & emphaſim, Miſſionariis, & *ipſis etiam* Neophytis apprimè ſcitu neceſſariam, Miſſionariis quidem ut ritè & prudenter ſuum officium peragant, frequenter enim in his omnibus datur caſus, in quo ex gravi neceſſitate proportionata poſſint omitti quædam ſacramentalia in Baptiſmate fœminarum, ac etiam omitti Sacramentum extremæ Unctio-

nis id poſſe fieri ſacra Congregatio Univerſalis Inquiſitionis Romanæ die 23. Martii anni 1656. coram ſanctiſſimo Domino noſtro Alexandro Papa VII. declaravit, & idem Sanctiſſimus approbavit in reſponſis ad quæſita P. Martinii. Eſt etiam Neophytis ſcitu ſummè neceſſaria hæc declaratio, ſive indultum, ut cum caſus accidat in quo Miſſionarius ad non conferendum dictum Sacramentum, & ſacramentalia gravem neceſſitatem proportionatam dari arbitretur, Neophytus præhabitâ Pontificii decreti integrâ notitiâ Miſſionarii judicio ſubjiciatur, & conquieſcat, nec ultrà ad importunè inquirendum illud Sacramentum, & ſacramentalia progrediatur. Si autem de relato Pontificio decreto fideliter condocefactus non ſit, non temerè arguet ex tenore reſponſionum ab Interprete tranſlatarum, Miſſionarios Societatis in hac materia hactenùs erraſſe, & modo etiam eadem decreta negligere, & frangere, & Sinenſibus fidelibus ſemper, & ubique neceſſarium Sacramentum, & ſacramentalia impiè denegare.

Secundo notandus eſt in adhibenda Sinica littera . . *tay* Interpretis lapſus, hæc enim littera in præſenti textu ſignificat *vice alterius* ideóque minimè appoſitè in hoc articulo bis collocatur, & jubetur, ut Sacerdos in Baptiſmo, & in infirmitate &c. Sancto oleo vice alterius fideles mulieres inungat. Certum enim eſt, quòd Sacerdos Paſtoris munus exercens ex vi ſui officii oleo ſancto ungit Baptiſmum recipientes, & infirmos, idque vice alterius

non

non agit, ideóque dicta littera *tay* in præſenti articulo apponi non debet, tunc autem rectè adhibetur, quando de eo loquimur, qui in aliquo caſu vice Sacerdotis Baptiſmum confert.

Tertiò Interpres Pontificium decretum de ſale benedicto Baptiſmum recipientibus conferendo Neophytis proponit, de ſaliva autem, qua aures, & nares baptizandi tangendæ ſunt prorsùs tacet. Hic percontor Interpretem: cum apud Apoſtolicam Sedem quæſitum fuerit, an Miſſionarii Sinenſes in collatione Baptiſmi à tangendis ſalivâ auribus, & naribus baptizandi poſſint abſtinere, & eadem ſancta Sedes reſponderit ſacramentalia à dictis Miſſionariis quantum in ſe eſt debere conferri, ad quid Interpres in ſua verſione de oleo ſancto, & ſale benedicto loquitur, & de ſaliva penitùs tacet? hujus reticentiæ ratio, quæſo proferatur.

Quartò Autographum Romanum ab Interprete tranſlatum loquens de ſacramentalibus in Baptiſmo, & de Sacramento extremæ Unctionis mulieribus conferendo ad *ly* mulieres particulam *omnes*, non præponit, Interpres verò ex ſuo illam addit, & ex propoſitione indefinita eam facit univerſalem neminem excludentem. Cur quæſo Interpres id ſuperaddit? Satis ni fallor apparet interpretis intentionem fuiſſe, illam limitationem *quantum in ſe eſt*; in Autographo appoſitam fortiùs excludere, & abſolutum, & univerſale decretum, ſine ullius exceptionis admiſſione, etiam datâ quacunque gravi neceſſitate proportio-

natâ formare, vel effingere. Hoc autem eſſe contra manifeſtam Sedis Apoſtolicæ mentem nemo non videt.

ARTICULUS VIII.

Textus Sinicæ Tranſlationis

. . . .
. . . .

Verſio hujus Textus,

Omnibus maribus, & fœminis Chriſtianis diem dominicum, & magnos dies feſtos, abſtinentiam à carnibus, & jejunia ſervare convenit.

IN hac Sinica Pontificii decreti tranſlatione Interpres tripliciter labitur.

Primò. Circa jejunia Neophytis Sedis Apoſtolicæ nomine denunciat omnes tam mares, quàm fœminas *convenire* ut jejunia ſervent; hoc autem tali modo loquendi propoſitum falſum eſt, non enim hac illimitatâ univerſalitate ab Eccleſia fidelibus proponitur; plurimæ enim ab illa in ſacris Canonibus, ejúſque ſacris Doctoribus declarantur cauſæ, & exceptiones, propter quas plurimi utriuſque ſexûs fideles abſtinentia à carnibus, & jejunio excuſantur, eas autem rudibus, & imperitis Neophytis explicare ſummoperè oportebat.

Secundò nullam mentionem facit de Sedis

Apoſtolicæ indulgentia, quòd poſſit circa jejunia Sinenſibus fieri diſpenſatio, ſi petatur, prout Indis occidentalibus indultum fuit, ideóque cum hoc Interpres omiſerit, iidem Neophyti ad omnia Eccleſiæ jejunia à S. Sede ſe inviolabiliter obligari, non temerè arbitrabuntur. Cur ergò quod ſupremus Paſtor liberaliter ex parte laxat, ejus valdè inferior Miniſter avarè reſtringit, ac denegat?

Tertiò Potiſſimùm notandum eſt, quòd Patres Societatis à Sinicæ Miſſionis initio ſingulis annis Kalendaria feſtorum, & jejuniorum vulgarunt, monendo Chriſtianos illos ea ſervare conveniens eſſe, & ad hoc explicandum uſi ſunt littera *y* . . quæ omninò coincidit cum ſuperiùs relata littera . . *Cay* in ordine ad ſignificandum convenire, decere &c. Uſi ſunt olim iidem Patres dictione non præceptivâ, ſed conſilium innuente piæ Matris Eccleſiæ ſenſui, & uſui ſedulò inhærentes: Eccleſia enim cum Neophytis indulgenter ſemper ſe habuit, & circa jejunia præcipuè patet in Reſponſis Nicolai Papæ 1. ad conſulta Bulgarorum cap. 4, ubi ſanctiſſimus Pontifex de jejuniis à Neophytis ſervandis interrogatus ſic ait. *Quot temporibus, vel diebus in circuitu ſit anni à carnibus abſtinendum nunc vobis, qui rudes eſtis, & in fide quodammodò parvuli ſuperfluè ducimus exponendum*, relatis verò jejuniis, quæ tunc temporis Romana ſervabat Eccleſia, Pontifex iterum ait, *Nos autem vobis, qui, ut prætulimus adhuc rudes eſtis, & lacte tanquàm parvuli nutriendi non grave potuimus jugum, donec ad ſolidum cibum veniatis*

imponere. Ita ſanctiſſimus Pontifex, uti habetur tom. 3. Conciliorum p. 1. ſect. 2. pag. mihi, 521. Hic inter cætera apprimè ponderandum eſt, quod ſummus Pontifex hac ratione Bulgaris reſpondet, licet eo tempore tota Bulgaria cum ſuo Principe ſuavi Chriſti Domini jugo ſe jam ſubjeciſſet, quid autem Sinenſium puſillo gregi inter innumeros gentiles, & ſub Imperatoris Ethnici poteſtate conſtituto reſpondiſſet? Licet autem noſtri Patres Sinenſes cum Neophytis olim, ut dictum eſt ſe ſe geſſerint, non tamen eiſdem manifeſtare prætermiſerunt jejuniorum & feſtorum dierum (ut etiam Confeſſionis, & Communionis annuæ) obſervantiam cadere ſub præcepto, & ſine cauſa eam omittentes, peccare. Hoc patet in ſupracitato Catechiſmo *Ki mum* dicto à P. Joanne de Rocha non longè ab hujus ſæculi initio typis impreſſo cap. 9. ubi Eccleſiæ præcepta ſub nomine . . *Sliay* id eſt *præcepta* fusè explicantur. Clarè enim ibi aſſeritur Chriſtianos ad ea ſervanda ſub præcepto teneri; additur autem, quòd Eccleſia, ut pia, & miſericors Mater tenellos in fide Neophytos ad ea integrè ſervanda paulatim aſſueſcat. Deindè proceſſu temporis P. Julius Aleni in ſacrarum precum manuali ejus tempore edito, ad calcem, tractatum adjunxit cui nomen eſt . . *Tie* . . *Cui* . . *Chim* . . *Quey* . . *Lio* id eſt *compendium rectæ regulæ ad detergenda peccata* ibi in examine tertii præcepti Decalogi ad Confeſſionem ſacramentalem præmittendo, clarè, & ſtrictè aſſerit quod die feſto Miſſam non audire, je-

junia non ſervare, inſuper debito tempore peccata non confiteri,nec Euchariſtiam ſumere,ſingula eſſe peccatum.Hinc conſtat quomodò noſtri Patres Sinenſes olim ſe geſſerint in introducenda præceptorum Eccleſiæ inter Neophytos obſervantia , primum mitiùs , & tanquàm ex Conſilio , deindè arctiùs promulgando præceptum,& in ejus violatione peccatum.Totum hoc iidem Patres peregerant , antequam P. de Morales vel quæſtionem de hac materia moverit , vel romana reſponſa ad Sinas referret , & promulgaret. Sed ut ad Interpretem redeamus ; ſi ipſe ut ſuprà dictum eſt circa feſta , & jejunia à Patribus Societatis quotannis publicata , ita ſe habere conſpexit , quid ulterius ſuæ tranſlationis pervulgatione Neophytis propoſuit , quod Patres Societatis longè antè eiſdem non propoſuiſſent ? Nonne potiùs interpres per ſua quæſita ampliſſimam de nobis malè ſuſpicandi apud romanam Curiam , & ubiquè terrarum materiam præbuit , quàm per ſuam tranſlationem Sinenſes Neophytos de re ſibi per Patres Societatis jam diù notiſſima utiliter edocuerit ?

Ex omnibus , quæ in præſenti capite dicta ſunt evidenter infertur , quàm graviter Pontificii decreti Interpres in ejus Sinica tranſlatione ſuo muneri , & debitæ fidelitati defuerit , & quot ac quanta errata commiſerit , nunc ad ea, quæ in eadem tranſlatione omiſit enarranda veniamus.

CAPUT III.

De iis quæ in Sinica Pontificii decreti tranſlatione Interpres omiſit, & ex toto reticuit.

PRæter illa quæ in ſecundo cap. circa Interpretis omiſſiones notata jam ſunt, adhuc eorum longa ſeries reſtat, quæ ne uno quidem verbo eidem arriſit attingere, ea nunc eo ordine, quo in latino decreti Autographo reſponſionum ad quæſita P. de Morales inveniuntur, diſtinctè hìc referuntur.

Primò. In reſponſione ad primum quæſitum circa Confeſſionem, & Communionem ſemel in anno faciendam declaratur, neceſſarium eſſe notificare Sinenſibus Neophytis obligationem annuæ Confeſſionis, & Communionis, & quid ab illis agendum ſit, cùm legitimum adſit impedimentum, aut grave periculum immineat. Inſuper hoc idem Neophytos edocendi præceptum Miſſionariis proponitur, & inculcatur.

Hæc Interpres in ſua Sinica tranſlatione edocere prætermiſit. Si id actum eſt, quia conſtabat cum Sinenſibus de hoc agere non oportere, eò quod iſta callerent, & quantùm fieri poteſt, exercerent, cur quæſo apud romanam Curiam hujuſmodi fuit oblatum quæſitum?

recogitari ſanè debuerat, quod cum hujuſmodi interrogationes ſacris Romæ Tribunalibus non ſuperfluè, & otiosè, ſed valdè neceſſariò proponi, rationabiliter ſupponantur, cum longe aliter hoc in rei veritate proceſſerit, nonne timendum eſt, ne tale quæſitum parùm ſincerè propoſitum eſſe videatur; ut omnes certò judicarent per figuram interrogationis Societatis Jeſu in Sinis Miſſionarios dictorum obſervantiam oſcitanter negligentes directè perſtringi? Illos autem Patres hoc non curare, eſt re vera falſiſſimum, quia in Sinenſis Miſſionis initio, in doctrina Chriſtiana typis edita, quam vocant *Tien Chu Xim Kiao yao* inter Eccleſiæ præcepta hoc ſpecialiter, & individuò pervulgarunt, & perpetuò eorum obſervantiam Chriſtianis inculcant, & ab iis, quantum fieri fas eſt, requirunt.

Secundò in reſponſione ad quartum quæſitum declaratur in ſtatu uſurario permanentes baptizari non poſſe; item ſi quis à judice compellatur ad mutuum, poſſe aliquid ultra ſortem accipere, ratione oneris, quod ſubire cogitur: inſuper circa accepta pignora juſtitiæ conſentanea doctrina proponitur.

Hæc omnia Interpres profundo involvit ſilentio, & de iis, quæ tam ardenti zelo, & acri conatu propoſita fuerant Apoſtolica reſponſa Sinenſibus proferre non curat.

Tertiò in reſponſione ad quintum quæſitum circa obligationem reſtitutionis ab Uſurarii filio faciendæ Uſurarii lucri, quod Pater acceperat, ipſemet quæſitor ad regulas à Doctori-

bus traditas, & ad docti, pii, & prudentis viri judicium remittitur.

Hæc omnia, & ſingula Interpres Sinicè transferre neglexit. Liceat mihi modò eundem ſic amicè alloqui; cur quæſo priuſquàm quæſitorum Autor tam vaſta, & periculoſa itinera conficeret, & tantam pecuniæ vim expenderet; ut Romam accederet, unam ſaltem vulgarem ſummam Doctrinæ moralis, vel doctum aliquem pium, & prudentem virum in his partibus exiſtentem non conſuluit, ut tot itineribus, periculis, & ſumptibus parceret, ſolutionem enim hujus dubii & quæſiti ſtatim, & facilè obtinuiſſet? juxta plurimos ſacros Canones (ab Antonio Auguſtino in juris Pontificii Epitome 32. adducuntur) majora tantùm negotia, & ab aliis indiſſolubilia dubia ſunt ad S. Sedem Apoſtolicam referenda, ne ſupremi Principis veneranda Majeſtas levi, & ſuperfluo recurſu offendatur, & quaſi contemni videatur. Quæſitorem ſanè oportebat advertere, hujuſmodi quæſitum audientes, non Quæſitoris imperitiam exprobraturos, ſed de Doctrina Patrum Societatis, quaſi verò non Catholicè de uſuris ſentiant, & Neophytos doceant, peſſimè judicaturos. Quid enim aliud cum de re notiſſima ſupremum interrogatur Tribunal, niſi ut nobis ægrè ſit homines ſuſpicabuntur?

Quartò in reſponſione ad quæſitum 6. de Contributionibus, quæ à Neophytis fiunt in publicis lætitiæ demonſtrationibus, & etiam feſtis gentilitiis, Neophytos id agere poſſe declaratur dummodò non intendant ad actus Idolatricos

Iolatricos, & ſuperſtitioſos concurrere, ſuppoſitâ evitandorum tumultuum causâ præſertim præmiſsâ, ſi commodè fieri poteſt, proteſtatione, quòd impoſita tributa præſtant in ordine tantùm ad populi lætitiam, & ad actus indifferentes vel ſaltem cultui Chriſtianæ religionis non repugnantes.

Hoc Pontificium reſponſum ab Interpretis calamo ex toto excidit, & evanuit. Hanc taciturnitatem conſiderans, valdè ſuſpicor quæſitorum longè diverſum ſperaſſe reſponſum, nempè, ut omnia in quæſito allata prohiberentur. Ratio ſuſpicationis eſt, quia hujus Pontificii reſponſi doctrina ex pluribus Autoribus, qui de fide ſcribunt, deſumi facilè poterat, his ergo relictis aliud ſtrictius reſponſum obtinere tentavit, ſuæ opinioni magis favens, quàm noſtræ in præſenti S. Sedis reſponſo ſtabilitæ.

Attamen ſuſpicionem hanc procul rejiciamus, & Interpretem ſic appellemus. Cur quæſo tam favorabilem Neophytorum plurimos conſcientiæ ſcrupulos eximentem, & à mille moleſtiis, & vexationibus ethnicorum eos extricantem doctrinam tacitus prætereundo iiſdem invidit? Cur onera Sinenſibus importabilia de falſo putato illicito cultu Confucii, & ſuorum defunctorum & de nullo pacto exercenda fœneratione pecuniæ, etiam quando evidenter eſt licita, adeò vehementer inculcat, vel inculcare intendit, & quod Neophytis favet, illos celat? Admiror equidem, Quæſitorem ſecum non reputaſſe homines hinc

facilè illaturos, malle illum erga Neophytos Novercam agere quàm Matrem.

Quintò in reſponſione ad quæſitum 7. circa cultum Idoli *Chum Hoam* Neophytis Sinenſibus falſiſſimò imputatum ab Interprete ſupprimitur Pontificii decreti declaratio, quod illicita ſit occulta ſanctæ Crucis dilatio, vel inter flores ſacrilegi Altaris abſconſio in externo cultu dicti Idoli, intentione ad adorandam ſanctam Crucem, & non Idolum directâ.

Hìc percontor Interpretem factum in quæſito ſuppoſitum vel eſt verum, vel falſum: ſi verum, cur Neophytos de Apoſtolico hoc decreto non commonefacit, nec de tam enormi errore per illum manifeſtè damnato eos dedocet? Si falſum de crimine falſi quæſitorum purget Autorem.

Sextò in reſponſione ad quæſitum 8. circa cultum Confucii, ubi ſupponitur Confucio *Templa*, & *Altaria* erigi, deſtinatos eſſe ad ei ſacrificandum *Sacerdotes*, de facto ei ſacrificari, Idolothyta accipi, & avidè manducari ex erroneo judicio, quod ex tali manducatione magnus in litteris, & gradibus progreſſus obtinebitur, & hæc omnia ſanctæ Crucis in manibus delatione juſtificari à Neophytis, & licita judicari. Cùm tamen hæc omnia in Pontificia reſponſione, nec licere, nec poſſe permitti apertiſſimè declaratum ſit. Interpres ne unum quidem verbum de his omnibus protulit, ſed tantùm juxta Sinarum intelligentiam, & captum expreſſit *Confucio munera offerre non convenit*.

Non temerè ut reor, judicabitur Interpretem cuncta hæc in Sinicam linguam vertere omiſiſſe, ne ab ipſis Sinenſibus de tot ſuppoſitionum apud ipſos evidentiſſima falſitate Quæſitorum autor ad oculum convinceretur. Quomodo enim *Templum* vocari poteſt, quod juxta Sinas *Gymnaſium*, & *Aula* appellatur, & eſt? Quomodo nominatur *Altare*, quod nomine, & re eſt *menſa* communis, nec in ea res ſacra fit ulla? Quomodo *Sacerdotes* nuncupantur, qui nulla ſacra faciunt? quomodo dicitur *Sacrificium*, quod eſt munus merè politicum? quomodo dantur *Idolothyta*, ubi nullum intervenit Sacrificium? ad quid in illo ſperabunt, cujus animæ in rerum natura exiſtentiam litterati Sinenſes recentiores penè univerſaliter negant? Ad quid ſanctæ Crucis delatio in eo opere, quod non ſacrum, ſed profanum, ſive civile indubitanter judicant? Quæſitorum Autor, & Interpres cum Aſſeclis ſolidè probent, quod ſine debito fundamento ſupponunt; tunc Sinenſes Chriſtiani manus dabunt, & ſuos ingenuè fatebuntur, & perfectè emendabunt errores. Si verò his, quæ diximus non acquieſcat Interpres, aliam indiſſolubilem in ſe excitat difficultatem, fateri enim cogitur, & in iis, quæ circa Confucium ex Pontificio decreto tranſtulit, unum pro alio, hoc eſt *munus* pro *Sacrificio* exponens in eſſentiali ſenſu quæſtionis erraſſe, & in iis, quæ transferre omiſit debitæ fidelitati in re graviſſima, & Neophytis ſummè noxia defuiſſe.

Septimò in reſponſione ad quæſitum 9. circa

cultum apud Sinas defunctis majoribus exhibitum conformiter ad factum in quæſito ſuppoſitum declaratur, Chriſtianis Sinenſibus nullatenùs licere fictè, vel exteriùs aſſiſtere ſacrificiis in honorem Progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuſcumque ritibus ſuperſtitioſis gentilium erga ipſos, multò minùs licere circa præfata miniſterium aliquod exercere.

Horum omnium in Sinica Pontificii decreti tranſlatione, nulla prorsùs fit mentio, ſed tantùm dicitur *Chriſtianos Majoribus defunctis munera offerre non convenire.* Nihil de ficta aſſiſtentia, nihil de deprecationibus, nihil denique de quibuſcunque ritibus ſuperſtitioſis, & miniſterio circa omnia, in quæſito præfato declaratis univerſìm pro illicitis nihil, inquam, in tranſlatione edicitur, vel innuitur.

Octavò in reſponſione ad quæſitum 12. Miniſtrorum Evangelicorum obligatio ſtrictiſſima declaratur, quod ſcilicet Cathecumenos docere teneantur ſacrificia omnia, præterquàm ſoli Deo eſſe illicita, cultum Dæmonum, & Idolorum eſſe relinquendum, & quæcunque hujuſmodi cultum concernunt; eſſe falſa, & Chriſtianæ fidei repugnantia.

Hæc omnia tam ſubſtantialia, & Chriſtianæ religionis prima fundamenta mirabili ſilentio obvoluta Interpres tacitus præterit. Si hujus ſilentii cauſam indagare fas eſt, maximè vereor, Interpretem ita ſecum eſſe ratiocinatum. Si prædictam reſponſionem ſummi Pontificis aſſumpto nomine Sinenſibus propono

Neophytis , ipſi me loquentem maximis ſibilis, & cachinnis excipient, mille dicteriis, & contumeliis onerabunt , & in malam crucem amandabunt : dicent enim , quid enim aliud " à prima die , quâ ad audiendum Catechiſ- " mum acceſſimus , à P. P. Societatis audivi- " mus , quàm unum Deum coli & uni Deo " ſacrificari oportere , Dæmones , & Idola " eorúmque ſacrilegos ritus , & nefaria ſacrifi- " cia rejici , & ſub pedibus ignominiosè con- " culcari debere ? hoc eſſe maximum , & " primum Dei mandatum. Nos tum Chriſtia- " ni , tum Ethnici omnes Sinenſes noſtro Ma- " giſtro Confucio , & majoribus defunctis nul- " latenùs ſacrificamus nec enim eos pro Idolis " habemus , ſed tantùm in grati animi , & fi- " lialis obſequii ſignum eos politicè , & civili- " ter veneramur. Omnia verò Idola , eorúm- " que omnis generis ſacrilegos ritus , hos ut- " potè Omnipotenti Deo ſincerè , & integrè " Fideles implacabili odio ex intimis cordis " medullis deteſtamur , & execramur. Ex hu- " juſmodi autem nobis à te propoſita Pontificia " reſponſione manifeſtè colligimus , nos atro- " ciſſimâ , & implacabili calumniâ apud ſanc- " tam Sedem fuiſſe per ſummam injuſtitiam " accuſatos , quaſi verò Chriſtum cum Belial " impiiſſimè confundamus , & Deum ſimul , " & Idola cum peſſimis Samaritis adoremus , " illíſque pariformiter ſacrificemus. Ut igi- " tur has , & plures alias acerbiſſimas querelas Sinenſium Chriſtianorum ſubterfugeret Interpres præſens hoc Apoſtolicum reſponſum Sini-

cè transferre, ſibi ſedulò conſulens prætermiſit.

Si hanc juſtiſſimam expoſtulationem non admittat Interpres, huic ineluctabili dilemmati cogitur reſpondere, vel in quæſito 13. contenta ſuppoſitio eſt vera, vel non. Si vera, cum res ſit omnium graviſſima, & in Pontificio reſponſo dilucidè, & enucleatè, ut illicita declaretur, cur turpiter deceptos Neophytos hac ſummè neceſſariâ doctrinâ illam ſupprimendo defraudat? Si autem dicta ſuppoſitio vera non eſt, falſitatem, & calumniam continet atrociſſimam, ideóque illam ſi non puniri, ſaltem manifeſtari, & innocentiæ plenè ſatisfieri opus eſt.

Nonò in reſponſione ad quæſitum 14. circa uſum Sinicæ vocis, & litteræ . . *Xim* licet in quæſito ſupponatur ejus ſignificationem reſtringi ad id quod nomen latinum *ſanctus*, *ſancta*, *ſanctum* in Eccleſia Catholica ſignificat, cùm tamen in reſponſione ad id quæſitum declaratum fuerit *non poſſe aliquod formari judicium circa vocem hanc & uſum ejus, niſi prahabitâ cognitione Idiomatis, ejúſque veræ, & propriæ ſignificationis: Cæterùm ſi eadem vox in Regno Sinarum habet latitudinem, poſſe miniſtros eâ uti, ſi verò reſtringatur ad ſignificandam veram, & perfectam ſanctitatem, nullatenùs poſſe.*

Hæc tam prudens, & æqua reſponſio Interpreti, ut videtur nequaquàm arriſit, ideóque in ſua Sinica tranſlatione illius prorsùs omiſsâ mentione ſilens prætergreditur. Hoc tacuit Interpres, ut arbitror, quia ſibi pluri-

mùm timuit, ne ſupinæ oſcitantiæ notâ à Sinenſibus omnibus ſignaretur, quaſi verò ipſe, & quæſitorum Autor cum pluribus ſociis neſcirent, hanc vocem *Xim* ampliſſimam habere ſignificationis latitudinem in libris, & communi Sinenſium loquelâ paſſim occurrentem, à Miſſionariis tamen Societatis, commodatò ut ita dicam acceptam adhiberi ad ſignificandam veram, & perfectam ſanctitatem, cùm proprium ejus vocabulum in Sinica lingua non inveniſſent, ut primitivæ Eccleſiæ accidit quæ cum in lingua latina ante divinam legem inter latinos Ethnicos promulgatam nullum vocabulum inveniſſet, quod veram, & propriam ſanctitatem ſignificaret vocem *ſanctus*, *ſancta*, *ſanctum* ad illam ſignificandam aſſumpſit, ut in 2. cap. hujus tractatûs dictum eſt.

Utinam Autor Quæſitorum, & ad ea reſponſionum Interpres legiſſet Sinicum librum Manilæ typis excuſſum anno 1607. à R. P. Thoma Majore ex eodem ſacro ordine S. Dominici compoſitum, cui nomen eſt . . *Ke* . . *Voa* . . *Kium* . . *Ly* . . *Pien* . *Lan* hoc eſt lectu facilis Philoſophia ; in hoc opere Autor ejus pag. 70. facie 1. verſ. 3. ultimo vocat antiquos ſapientes . . *Xim* . . *hien*, eodem modo illos appellat pag. 306. facie 2. verſ. 2. nominat Imperatores Sinenſes *Xim* . . *Kium*. Inſuper pag.223.facie 1.verſ.3.& pag.299.facie 1.v. 2.& facie 2.v.3.eoſdem Imperatores appellat . . *Xim* . . *Xam* ex hiſce tot locis manifeſtè patet Patrem Majorem benè intellexiſſe litteram *Xim* uſurpando, ſi hæc ſapientibus tribuatur, nihil

aliud ſignificare quàm inſigni, & *ſupereminenti ſcientia præditos viros*; ſi autem Regibus, & Imperatoribus applicetur nullum alium ſenſum in eadem voce *Xim* deſignari, quàm omnes Superiores, & in cæteros dominantes homines. Hic eſt genuinus in prædictis locutionibus hujus litteræ ſenſus, & voce, & ſcripto à Sinenſibus perpetuò adhibitus, ut Sinicos libros pervolutantibus, ſive cum Sinis colloquentibus paſſim conſtabit, ſatiùs ſanè noſtro Quæſitori fuiſſet priùs prædicta maturè, & patienter ſecum evolvere, & ponderare, quàm de re ſibi non rectè perſpectâ quæſtionem inſtituere, & coram ſupremis Romæ Tribunalibus quæſita proponere.

Decimò in reſponſione ad quæſitum 15. circa cultum deſcripti in tabula nominis pro tempore viventis Imperatoris Sinarum, cum ſacra Congregatio ſummo Pontifice approbante reſponderit: *Excluſis ſacrificiis, & Altari verè, & propriè dicto, cætera quæ redolent tantummodò cultum civilem, aut poſſunt ad illum reduci, permitti poſſe*: Hujus tam æqui, & Sinenſibus adeò favorabilis reſponſi Interpres ne unum quidem apicem Neophytis exponere eſt auſus, vehementer enim, ut credo, à ſignificantiſſimis Pontificii decreti verbis ſibi ſuiſque opinionibus timuit, dum ibi dicitur: *Cætera quæ redolent tantuſmodò cultum civilem, aut poſſunt ad illum reduci permitti poſſe*. Hac Apoſtolicâ doctrinâ, quæ alibi ex aliis reſponſis Pontificis, ſacris Canonibus, ſanctis Patribus, & Doctoribus abundè elucidabitur, tanquàm gla-

dio

dio ex utraque parte acuto, & quaquaverſum faci'è verſabili, omnes ferè objectiones, quæ in hiſce controverſiis Sinicis de cultu Confucii, & defunctorum contra noſtram ſententiam formantur, jugulare audemus, & parati ſumus.

Undecimò in reſponſione ad quæſitum 16. Utrum liceat Sinenſibus Chriſtianis orare, & Sacrificia facere pro defunctis, qui in ſua infidelitate ex hac vita decedunt. Cùm ſummus Pontifex & ſacra Congregatio reſponderit, *ſi verè ii in ſua infidelitate decedant, omninò non licere.* Hanc reſponſionem more ſibi jam familiari ſilentio ſuppreſſit Interpres. Si verò meum circa hanc taciturnitatem ſenſum aperire fas eſt, certiſſimè judico illum noluiſſe Sinenſes Neophytos audire, ſic ſibi loquentes: Interpres egregiè " adeò ſtultos, vel ſaltem obliviosos nos arbi- " traris, ut divinæ legis prima principia nobis " ex toto, mente exciderint? Nonne Patres " Societatis in Catechiſmi primo capite nos di- " ſertiſſimè docuerunt, quod extra Deum, " ejúſque ſanctiſſimam legem, non eſt in ali- " quo alio ſalus. Non enim aliud nomen eſt " ſub cœlo datum hominibus in quo oportet " nos ſalvos fieri. Inſuper quod præmium, & " ſupplicium in futuro ſæculo eſt æternum, " nec ex inferis damnatorum ullus datur per " omnem æternitatem regreſſus, vel pœna- " rum finis; quomodo enim pro illis orabi- " mus, quos Deus immutabili decreto ad in- " feros condemnavit. Cur ergo tanquam no- " vam apud nos doctrinam, quaſi verò à recta "

„ fide erraremus , ſummi Pontificis nomine „ hoc nobis denuncias ? Fieri ſanè non poteſt , „ quin atrociſſima alia calumnia circa hoc apud „ ſanctam Sedem Apoſtolicam in nos conficta jam fuerit. Hanc acerbam exprobrationem in ſe à Sinenſibus Neophytis impingendam , cautus Interpres , facillimè hoc eſt , tacendo evitavit.

Si tamen hoc meum de Sinenſibus , ut ſuprà loquitur judicium non admittatur , neceſſariò conſequitur , ut toties repetita in Interpretem recurrat illatio , ſcilicet ſi Sinenſes Neophyti juxta in quæſito ſuppoſitum errabant , cur illos Interpres de hoc graviſſimo errore conformiter ad Pontificium decretum , & præceptum , ne uno quidem verbo commonefacit ?

Duodecimò in decreto ſacræ Congregationis quod ad finem reſponſionum ad ſeptendecim quæſita recitatur ſummus Pontifex Innocentius X. *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſanctitati ſuæ & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ reſervatæ diſtrictè præcipiendo mandavit , quatenùs præfata reſponſa & reſolutiones omnes Miſſionarii Sinenſes diligenter obſervent , illíſque in praxi utantur , ac ab aliis , ad quos pertinebit obſervari , & practicari faciant , donec ſanctitas ſua , vel ſancta Sedes Apoſtolica aliud ordinaverit.*

In Sinica hujus decreti tranſlatione duo ſummè ſubſtantialia omninò prætermittuntur. Primum eſt urgentiſſimum ſub graviſſima pœna præceptum circa reſponſionum obſervantiam , ſecundum prudentiſſima , & maximè ponde-

randa conditio, donec ſcilicet à S. Sede Apoſtolica aliud ordinetur. Interpres verò urgentiſſimi præcepti, & graviſſimæ pœnæ loco per mitiſſimum, & ſuaviſſimum verbum, *non convenit*, omnia diſſolvit & Pontificia decreta incaſſa, & deluſa reddit. Quoad verò conditionem adeò ſubſtantialem appoſitam cùm hæc futura eſſet maximo Sinenſium Neophytorum ſolamini, eò quod per illam ſe eſſe clementer audiendos cognoſcerent, & ſperarent, per illius tamen reticentiam miſerorum illorum ſolatium, ac ſpes intervertitur, & detruncatur, dum decretum Pontificium non conditionatum, ut re vera eſt, ſed ut abſolutum, & irrevocabile, circa quod vel leviter hiſcere nefas ſit, eiſdem promulgat Interpres.

Ex dictis ſuperiùs in 2°. & præſenti 3°. capite conſtat utriuſque capitis aſſumptum eſſe evidenter probatum, ſcilicet Interpretem in ſua Sinica reſponſionum, & decreti Pontificii tranſlatione, à veritatis ſcopo, in iis, quæ tranſtulit toto cœlo aberraſſe, & in iis, quæ non tranſtulit in fidelitate Interpreti debita plurimùm defeciſſe.

CAPUT IV.

Suſpicio de mala fide, quâ politicus cultus Confucii, & defunctorum impugnatur, multipliciter confirmatur.

HUjus confirmationis argumenta præcipuè deſumuntur ex duobus Sinico Idiomate conſcriptis libellis, ſive opuſculis, quos R. R. P. P. Fr. Joannes Baptiſta de Morales, & Fr. Franciſcus Varus, uterque ex ſacro Ordine S. Dominici confecerunt, & promulgarunt. P. de Morales opuſculo cui titulus eſt . . *Xim* . . *Kiao* . . *Hiao* . . *Cin* . . *Kiay*, id eſt *ſanctæ legis Chriſtianæ obſequii filialis erga parentes explicatio*. Hoc autem opus in lucem prodiiſſe videtur poſt ejuſdem Patris Româ in Sinas regreſſum, cùm reſponſionum & decreti Pontificii, de quibus ſuprà egimus tranſlationem Sinicam inter Neophytos evulgavit, quæ tranſlatio ad calcem dicti libelli appoſita circumfertur.

P. Franciſci Vári libellus pro titulo habet . . *Pien* . . *Ci* . juxta dicti Patris intentionem titulus hic verti debet. *Diſputatio de ſacrificio*, ſed juxta propriam Sinarum intelligentiam, ſecundum quam nos exteri cum Sinis loqui, ut ab illis probè intelligamur omninò debemus, titulus iſte in latinum idioma tranſlatus hunc ſenſum propiiſſimè exprimit de littera . . *Ci*,

ejúſque ſenſu diſputatio, ſive de ſacrificiis, oblationibus, & muneribus in genere ſumptis diſputatio.

Objicitur. Autor in hoc opuſculo de veri, & proprii ſacrificii ratione tractat, & in hoc ſenſu illicitum eſſe, præterquàm ſoli Deo ſacrificare, demonſtratur; ad quid ergo tituli ſenſum ad alios à me nunquàm cogitatos devias, & diſtorques.

Reſpondeo cum Apoſtolo Paulo 1. Corinth. c. 14. v. 7. quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſive tubâ, ſive cytharâ niſi diſtinctionem ſonitûum dederit, quomodo ſcietur id, quod canitur, aut quod citharizatur. Etenim ſi in certam vocem dederit tuba, quis parabit ſe ad bellum. Ita & vós per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes &c. Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus &c. Niſi igitur P. Varus in ſuo libro, & præſertim in ejus titulo diſtinctionem ſenſus litteræ *Ci* dederit, quomodo à Sinenſibus ſcietur, in quo ſenſu eam litteram ipſe aſſumat? minimè dubium eſt, quod per incertæ ſignificationis vocem ad ſcholaſticum diſputationis bellum haud ritè ſe parat, & à nullo Sinarum intelligetur id quod in dicto opuſculo tractat, ſic ejus Autor ab iiſdem tanquàm in aëra loquens, & in incertum currens reputabitur, eò quod virtutem vocis, & litteræ *Ci* nequaquàm fuerit aſſecutus.

Cæterùm ex utroque præcitato opuſculo in hoc capite tantùm aſſumam, quæ in præſens

ad rem noſtram deſerviunt, reliqua ſi Deus dederit, alibi diſcutientur. Magnam enim differendi materiam, utrúmque opus abundè ſuppeditat. Modò igitur octo ſequentes propoſitiones expenduntur, quarum fundamentum in dictis libellis invenitur.

Prima. Controverſiæ Sinicæ inter Sinenſes Miſſionarios agitatæ à quibuſdam ipſorum rudibus, & puſillis in fide Neophytis inconſultò, & cum ſcandalo communicantur.

Secunda. In diſputatione de vero,& proprio ſacrificio, ejus eſſentiale conſtitutivum non rectè declaratur, & per æquivocationem litteræ *Ci* cum aliis longè diverſis rebus confunditur.

Tertia. Tabellæ defunctorum à S. Sede Apoſtolica Sinenſibus pluries permiſſæ à P. Franciſco Varo abſolutè damnantur, & prohibentur, licet pluribus ejus ſociis contradicentibus, ipſiúſque ſuperioribus contrarium præcipientibus.

Quarta. Obſequium filiale ſupra quam fieri debeat, & liceat extollitur.

Quinta. Quartum Dei præceptum in propoſitivum, & negativum minùs aptè dividitur.

Sexta. Nova, & nunquam audita Dei mandata, circa defunctorum funera confinguntur & Neophytis proponuntur.

Septima. Quæ juxta Dei legem, vel ex P. de Morales ſententia prohiberi debent, & ab eodem facilè Neophytis conceduntur, & quæ Romæ ille damnari curaverat, degens poſteà in Sinis approbat, & eiſdem indulget.

Octava. Summis, & indebitis laudibus ab eodem Patre cum ſociis extollitur Confucius, licet agnitus, ſed falsò ut primus Autor rituum, quorum in Romana Curia damnationi, & excommunicationi urgenter incubuit.

Ad harum propoſitionum veritatem ſingulatìm demonſtrandam eo ordine, quo recitatæ ſunt, accedamus.

PRIMA PROPOSITIO.

Controverſiæ Sinicæ inter Sinenſes Miſſionarios agitatæ à quibuſdam ipſorum rudibus, & puſillis in fide Neophytis inconſultò, & cum ſcandalo communicantur.

PRobatur Propoſitio, poſtquàm Controverſiæ Sinicæ inter Miſſionarios exortæ ſunt; ex parte defendentium politicum cultum Confucii, & defunctorum, ſcripti quidem ſunt plurimi tractatus ſententiam hanc tractantes & confirmantes, hi autem noſtris tantùm Patribus, & etiam aliquando adverſæ ſententiæ propugnatoribus oſtenſi fuerunt; cum Neophytis verò de hujuſmodi quæſtionibus raro, & ſolâ urgente neceſſitate, actum eſt, & multò minùs noſtrarum ſententiarum adverſas opiniones impugnantes libros, ſeu opuſcula Sinenſibus litteris conſcribere, & inter Neophytos evulgare auſi ſumus. Ex altera verò parte dictum politicum cultum impug-

nantium non ſolùm reſponſa, & reſolutiones ad ſeptemdecim quæſita P. de Morales Sinicè tranſlata, & Sinenſibus communicata ſunt, ſed inſuper ab eodem Patre opuſculum Sinenſi idiomate, & litteris confectum eſt, ad cujus calcem dictarum reſponſionum verſio invenitur, & inter Neophytos vulgatum. Prætereà P. Franciſcus Varus aliud ſimile opuſculum elaboravit, & inter eoſdem Chriſtianos ſparſit. In utroque libello juxta Auctorum intentionem, diſputatio de ſacrificio inſtituitur, nec ſolùm ſententia dicti cultûs politici, manifeſtè refellitur, ſed etiam Pontificiis decretis, & reſponſis directè contradicitur. Hoc autem, quàm grande, & pernicioſum ſcandalum hinc apud Neophytos oriatur, nemo eſt, qui non videat. Certiſſimè mihi conſtat, illos ex hoc licet erroneè colligere noſtræ S. legis immutabilia dogmata non eſſe omninò firma, ſed hinc indè accademicè diſputabilia; rudes enim Neophyti inter invariabiles fidei articulos, & opiniones circa harum quæſtionum factum nondum poſſunt differentiam aptè diſcernere. Hinc etiam eò prolabuntur ut de firmiſſima divinæ legis veritate ſecum ambigant. Inſuper utramque de cultu Confucii, & defunctorum affirmativam, & negativam ſententiam hac ratione diſtingunt, quod affirmativa ſinat Neophytos parentes honorare, & magiſtros, juxta evidens naturæ dictamen, & quartum Dei præceptum. Negativa verò hoc idem contra omne rationis lumen Deíque mandatum ſeverè, ne dicam impiè prohibeat, clariùs

clariùs hoc oſtenditur ex communi Sinarum ſenſu, tum in eorum libris, tum in vulgari uſu loquendi paſsim expreſſo, illi enim qui ergà Confucium, & majores defunctos ſtabilitos reverentiæ, & honoris ritus negligunt exercere, non irreligioſi nominantur, ſed ergà magiſtros ingrati, & inofficioſi, & ergà Progenitores impii, & inobſequentes, & præcipuè peccantes in hoc erga parentes defunctos appellantur. . . *Pu* . . *hiao* . . *Cu* . . id eſt *filii non honorantes parentes.*

Ad majorem dictorum confirmationem ponatur caſus, quod politicum cultum Confucii & defunctorum propugnantes, ad ſuæ cauſæ juſtam defenſionem, & læſæ famæ reſtaurationem plures libros, Sinicè ſcribunt, quod cum Dei adjutorio facillimè poſſunt; ſolida ſuæ ſententiæ fundamenta demonſtrent, & eam impugnantium paralogiſmos; æquivocationes, & plurimos, atque graves in linguâ, & rerum Sinicarum notitiâ lapſus debitæ fidelitatis in vertendis Pontificiis decretis pluſquàm palmares defectus clarè, & dilucidè explicent, quiſnam ubique terrarum hoc tanquàm inexpiabile crimen dicti politici cultûs propugnatoribus non exprobraret atrociter, & ſeveriſſimâ dignos cenſurâ, & ſupplicio non judicaret? Quid ergo quod illis non dicere cenſetur, adverſæ ſententiæ defenſoribus hoc licebit? Equidem ſatis, ſupérque quotidiana nos docet experientia, quàm ingentia mala ex nimio ardore dictum politicum cultum impugnandi in Sinis accidant;

& nihil aliud nobis ſupereſt, quàm altis ſuſpiriis, & copioſis lachrymis miſerabilem harum Miſſionum ſtatum deplorare,& clementiſſimum Deum,ut his malis dignetur occurrere humilibus precibus implorare. Conſultiùs ſanè, ni fallor, egiſſent, qui dicta Sinica opuſcula inter Chriſtianos ſparſerunt, & aliud inſuper de novo componere, & typis dare, ut mihi conſtat, tentarunt, ſi in hac re S. Iſidorum audiſſent, qui lib. 3. de ſummo bono cap. 42. & refertur „ à Conc. Aquiſgran. cap. 23. ſic ait, non „ omnibus ea, quæ ſunt clauſa, aperienda „ ſunt, multi enim ſunt, qui capere non poſ„ ſunt, quibus ſi indiſcretè manifeſtantur, „ ſtatim aut detrahunt, aut negligunt. Prima „ igitur prudentiæ virtus eſt, eam quam do„ cere oporteat æſtimare perſonam rudibus po„ pulis, ſeu carnalibus plena, atque commu„ nia non ſumma, atque ardua prædicanda „ ſunt, ne immenſitate doctrinæ opprimantur „ potiùs, quàm erudiantur. Hactenùs S. Iſi„ dorus hoc idem optimè inculcatur à S. Gre„ gorio magno 1. parte Paſtoralis cap. 4. per „ hæc verba; cùm rector animarum ſe ad lo„ quendum præparat ſub quanto cautelæ ſtu„ dio loquatur, attendas ne ſi inordinatè ad „ loquendum rapitur, erroris vulnere corda „ audientium feriantur, & cum fortaſsè ſa„ piens videri deſiderat, unitatis compagem „ inſipienter abſcindat. Hinc namque veritas „ dicit. Habete ſal in vobis, & pacem habe„ te inter vos. Per ſal quippè verbi ſapientia „ deſignatur; qui ergo loqui ſapienter ni-

titur magnoperè metuat, ne ejus eloquio "
audientium unitas confundatur &c. Provi- "
dendum quoque eſt ſollicitè rectoribus, ne "
ab iis non ſolùm prava nullo modo, ſed ne "
recta quidem nimiè, & inordinatè profe- "
rantur &c. Ita magnus Gregorius cujus hìc "
allata doctrina refertur decreti 1. part. diſt. "
43. c. 1. ſed hæc pauca de iis, modo ſatis. "

SECUNDA PROPOSITIO.

In diſputatione de vero, & proprio ſacrificio, ejus eſſentiale conſtitutivum non rectè declaratur, & per æquivocationem Litteræ . . Ci cum aliis longè diverſis dictis confunditur.

AD hujus probationem præmittenda eſt veri & proprii ſacrificii definitio. Hæc autem à Theophylo Raynaudo de virtutibus, & vitiis lib. 4. ſect. 3. num. 281. Sic proponitur, ſacrificium propriè acceptum eſt ſig- "
num ſenſibile deputatum ad divinam ex- "
cellentiam & ſubjectionem illi ab homine "
debitam ſignificandam per alicujus rei præ- "
manentis Deo oblatæ immutationem. Dein- "
dè idem auctor variis rationibus ſuam con- "
firmans definitionem hæc addit. Non nego "
alios prætereà dari fines ſacrificii, qui con- "
junctìm cum ea ſignificatione quæruntur per "
actionem externam ſacrificandi : ejuſmodi "
ſunt, gratiarum actio, beneficiorum impe- "

„ tratio, & expiatio culparum &c. Tamen „ primarius finis ſacrificii eſt is, quem dixi „ nempè ſacrificandi, & proteſtandi ſupre- „ mam Dei vitæ, & mortis Domini excellen- „ tiam, & totam ad Deum ſummo jure ſubje- ctionem. Hucuſque Raynaudus, & cum eo cæteri ſcholaſtici. Hoc poſito, videamus in quo P. Varus in ſuo Sinico opuſculo §. 2. poſt quæſitum 2. veri ac proprii ſacrificii rationem conſtituat. Ad vitandam autem æquivocationem, nunc explico litteram . . Ci juxta dicti Patris intentionem, qua vult hanc litteram verum, & proprium ſignificare ſacrificium, ſic igitur ait.

. . . .

Id eſt, *Sacrificium ſanè eſt ritus petendi felicitatem, gratias pro acceptis beneficiis agendi, & infortunia evitandi.* Deinde eodem loco paulò inferiùs hæc addit.

. . . .
. . . .
. . . .

Id eſt *in ſumma id ad quod ſacrificium reſpicit, certè ad hæc tria ſuperiùs allata reducitur, & horum trium principium, & cauſa ex ſolo Deo procedit, ergo manifeſtè patet, tantum uni Deo poſſe Sacrificium dirigi, & offerri.*

Hæc veri, & proprii deſcriptio ſacrificii à P. Varo allata ſi benè conſideretur, eſſentiam

ſacrificii non explicat, cùm potiſſimam ejus rationem, & formale objectum prætermittat, nempè ſignificandi, & proteſtandi ſupremam Dei excellentiam, & dominium, & hominum ſubjectionem ad ipſum. Quomodò ergo Sinenſes Neophyti ex P. Vari verbis, verum, & proprium de ſacrificio conceptum efformabunt?

P. de Morales in ſuo Sinico opuſculo, etiamſi veri, & proprii ſacrificii uni Deo debiti rationem paulò poſt opuſculi initium aliquantiſper explicet, aſſerendo ſacrificari Deo, ut rerum omnium Creatori, & Gubernatori, ſed ſacrificii eſſentiale conſtitutivum integrè non declarat, immò prope libelli finem, Miſſæ ſacrificium deſcribere nitens perperam ſanè, & confusè id agit ipſius textum recitemus.

. . . .

Id eſt, *ad ritum Deo ſacrificandi accedamus: Hic ritus eſt ſummè æſtimabilis, magnus, profundus & excellens. Hujus ſacrificii materia eſt longè diverſa ab ea, quæ in ſæculi ſacrificiis*, & politicis oblationibus *adhibetur. Illius ſacrificii intentio eſt longè diverſa. Veteres ritus* legis naturæ, & ſcriptæ, *in ſacrificiis Deo offerendis victimas adhibe-*

bant. Cùm verò *Deus humanam carnem hypoſtaticè aſſumpſit, tum magnum Miſſæ ritum determinavit; nec animalium victimæ jam uſui ſunt, Miſſæ autem ritus hic eſt*, ſive in hoc conſiſtit *Sacerdos, & ſpiritualis Pater recitat precum librum*, Miſſalis, *& orat Dominum. præter hoc*, ſacrificium, *eleemoſynas pauperibus erogare abſtinentiam à Carnibus, & jejunia, ſe flagellis cædere, pravos animi, & corporis affectus vincere, & ſimilia; nullum ex his non eſt opus ad Dominum deprecandum*, idoneum, *inter hæc opera habetur, quod Chriſtiani omnes, præparant varias res, & eas . . . Chi . Ci . .* id eſt *offerunt in ſacrificium. Sacrificiis autem hiſcè peractis*, res oblatas, *pauperibus erogant. Illorum intentio ad Deum reſpicit, ſcilicet, ut pro defunctis eundem deprecentur, ut ii à pœnis purgatorii liberentur, & illorum animabus ad cœlum aſcendendi, & felicitatem recipiendi munus ipſe impertiatur. Omnes hujuſmodi ſacrificii ritus ad Deum potiſſimum reſpicere convenit, & licet* ii *ad homines non reſpiciant, aut non dirigantur, principaliter tamen offerentium intentio univerſim ſumpta ad Deum deprecandum dirigitur, ut illorum defunctorum animas adjuvet.* Hucuſque de Morales, in hoc textu plura ſunt notatu digniſſima. . . . .

Primò tres potiores ſpecies ſignificationis litteræ *Ci* non diſtinguntur, ſcilicet ſacrificii latreutici uni Deo debiti, ſacrificii idolatrici, verè ſacrilegi, & politicorum munerum, quæ tam vivis, quàm mortuis inter Sinas offeruntur, & ſub eodem *Ci* nomine ſignificantur. Cùm ergo adeò neceſſaria diſtinctio haud fiat, quæſtionis confuſio evidenter apparet.

Secundò cùm totius opuſculi ſeries ad hoc tendat, ut munera defunctis à Sinenſibus oblata eſſe ſuperſtitioſa demonſtrentur, in hoc textu aſſeritur illa munera in materia, & fine à vero ſacrificio ſoli Deo exhibito, eſſe longè diverſa. Hoc igitur à P. de Morales tam clarè, & diſtinctè conceſſo & inſuper cum ſuperiùs cap. 2. art. 2. conſtet in prædictis muneribus nec ſacerdotem, nec Altare, nec formam ſacrificii inveniri, quid aliud hinc conſequitur, niſi talia munera nullatenùs eſſe, & vocari poſſe *ſacrificia.* Præatereà P. de Morales incidit in manifeſtam unius de eodem contradictionem, quia illud, quod vult eſſe ſacrificium, eſſentiali ſacrificii conſtitutivo carere pronunciat, cùm tale conſtitutivum à fine tanquàm ab objecto formali ſpecificetur.

Tertiò perperam explicatur Miſſæ ſacrificium per illa verba. *Sacerdos recitat precum librum*, hoc eſt Miſſale, *& orat Dominum*, non enim hoc loquendi modo; talis ſacrificii conſtitutivum refertur, Miſſa enim juxta Theologos eſt ſacrificium incruentum conſiſtens, ſaltem in conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſenſibilibus ſpeciebus panis & vini, & eſt actus latriæ, qui primariò fit in recognitionem ſupremi dominii Dei, & ſignum noſtræ ſervitutis, ſecundariò etiam ad fines particulares offertur, ad agendas gratias, ad impetrationem beneficiorum, ad remiſſionem peccatorum, ad ſanctos honorandos, ad vivos, & Chriſto mortuos adjuvandos &c. Ex hac igitur ſacrificii Miſſæ deſcriptione conſtat,

quàm malè in citato textu illud Neophytis proponatur.

Quartò in eodem textu, omnes Chriſtianos ſacrificare, & conſequenter illos universìm eſſe ſacerdotes, & omnia eorum opera bona eſſe ſacrificia affirmatur. Cùm autem ex toto contextu manifeſtum ſit de vero, & proprio ſacrificio hìc agi non benè advertit P. de Morales, dum in hoc ſenſu loquitur, ſe Lutheranorum, & Calviniſtarum dogma Sinenſes Neophytos edocere. Videatur Leſſius de juſtitia lib. 2. cap. 38. dubit. 2. Greg. de Valentia Apol. de ſacrif. Miſſæ. Bellarminus tom. 2. controverſ. de miſſa lib. 1. cap. 2. & Becanus in Theolog. ſcholaſt. & controverſiis de hac materia, ibi enim invenietur, quòd dicti, & alii hæretici aſſerunt omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes, & omne opus bonum ab iis ad Deum directum eſſe verum, & proprium ſacrificium.

Ex dictis ſatis intelligitur, prædictorum opuſculorum Autores dum Sinenſes Neophytos à cultu Confucii, & defunctorum abſolutè avertere nituntur; quaſi verò illicitis eos ſacrificiis venerentur; in quo veri, & proprii ſacrificii eſſentia conſiſtat; eoſdem nullatenus edocere. Immò è contra omnia permiſcere, & confundere, & quod magis eſt, penitus reprobandam doctrinam illis proponere; ſatis equidem fuiſſet iiſdem Autoribus hæc omnia ſilentio involvere, quàm ea tam inordinatè, & perperam declarare.

TERTIA PROPOSITIO.

Tabellæ defunctorum à ſanctâ Sede Apoſtolica Sinenſibus pluries permiſſæ à Patre Franciſco Varo abſolutè damnantur, & prohibentur licet pluries ejus ſociis contradicentibus, ipſiúſque ſuperioribus contrarium præcipientibus.

ANtequàm P. Vari doctrina, & verba proferantur, præmittenda eſt dictarum Tabellarum per Sedem Apoſtolicam ter facta permiſſio.

Prima habetur ex reſponſione ad 11. quæſitum P. de Morales, ad quod reſpondetur, *omninò non licere habere illas Tabellas in vero, & proprio Altari majoribus dicato, multò minùs deprecationes, & ſacrificia eis offerre.* Ex hac reſponſione colligitur, quod ſi verè dictum Altare, deprecationes, & ſacrificia in uſu Tabellarum non reperiantur, ut in rei veritate non inveniuntur, abſolutè illas eſſe permiſſas. Hæc permiſſio facta eſt 12. Septembris anni 1645. à ſacra Congregatione de propaganda fide, & à ſummo Pontifice Innocentio X. fuit approbata, ejuúſque executio ſub gravi pœna præcepta.

Secunda permiſſio continetur in decreto à S. Congregatione Sacræ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis 13. Novembris anni 1699. emanatò, & à ſummo Pontifice Clemente IX, ap-

probato ad inſtantiam Patris Fratris Joannis Polanco Ordinis S. Dominici. Ibi enim declaratum fuit, quod ſupra relatum *decretum S. Congregationis de propaganda fide latum ſub die 12. Septembris 1645. ſecundum expoſita in dubiis eſſe in ſuo robore; & omnia in dictis dubiis expreſſa, eſſe ſervandum prout jacet.*

Tertia permiſſio habetur in reſponſis, quæ eadem ſacra Congregatio ſanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis dedit ad quæſita P. Martini Martinii, ubi decernitur poſſe tolerari Sinas converſos adhibere ceremonias in dictis quæſitis relatas, inter quas eſt uſus Tabellarum, ſublatis tamen ſuperſtitioſis; hujus etiam S. Congregationis reſponſa ſummus Pontifex Alexander VII. approbavit ſub die 23. Martii anni 1656.

Per ſupradicta ſacrarum Congregationum reſponſa, & Pontificias approbationes, non tantùm Patres Societatis intellexerunt tabellas defunctorum ſecluſis ſuperſtitioſis à S. Sede Apoſtolica Sinenſibus eſſe permiſſas, ſed etiam Patres ſacrorum Ordinum S. Dominici, & Franciſci idem ſenſerunt. Quatuor ad hoc probandum Teſtes adduco.

Primus eſt R. P. Fr. Arcadius cognomine ni fallor à S. Roſario Ordinis S. Dominici, & Sinicus Miſſionarius, qui inter quæſita, quæ ad R. P. Fr. Joannem de Paz in Inſulis Philippinis morantem virum eximiâ virtute, doctrina, ac fama celebrem, & ejuſdem Ordinis religioſum in primo quæſito de Sinicis Tabellis, ſic ait, (hiſpanicum ipſius ſermonem

in latinum verso) *Univerſalis Inquiſitionis Qualificatores ad P. F. Joannem Polancum, & P. Fr. Dominicum Navarrete reſpondentes omninò eas prohibent. Attamen ſummus Pontifex Innocentius X. eas non prohibet, niſi in vero & proprio Altari Majoribus dicato.* Sic P. Fr. Arcadius circa id quod dicitur à memorato Patre de Qualificatoribus ſanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, intelligendum hoc puto, ni fallor, quod ſapientiſſimi Patres negarunt eſſe licitas Tabellas in ſenſu compoſito cum ſuperſtitionibus, quas illis ineſſe, in propoſitis quæſitis, ſuppoſitum fuerat. Cæterum non fuiſſe illorum intentionem illas prohibere, ſeu illicitas declarare in eo ſenſu, in quo ut ſupradictum, & à S. Sede Apoſtolica permittuntur, id eſt *ſecluſis ſuperſtitionibus.*

Secundus Teſtis eſt perfectus P. Fr. Joannes de Paz, qui in reſponſione ad prædictum quæſitum P. Fr. Arcadii ſic loquitur hiſpano ejus idiomate in latinum verſo. *In decreto ſacræ Congregationis de propaganda fide ab Innocentio X. approbato permittuntur Tabellæ dummodò in vero Altari Progenitoribus dicato non maneant.*

Idem P. de Paz ad repetitum de hac materia quæſitum à R. P. Fr. Andrea Lopez Ordinis S. Dominici, & Sinenſi Miſſionario ſibi propoſitum diſtinctiùs per hæc verba reſpondit, *ad 11. P. Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales quæſitum de progenitorum defunctorum Tabellis eadem ſacra Congregatio reſpondit non eſſe licitum illas habere in vero, & proprio Altari dictis defunctis dicato. Itaque Tabellæ non ſunt abſolutè prohibitæ, niſi in caſu in*

quo in Altari defunctis dicato ſint collocata., Hactenùs P. de Paz.

Tertius teſtis eſt R. P. Fr. Dominicus Maria de ſancto Petro ejuſdem Ordinis S. Dominici, qui præter ejus præclaras dotes in Sinicis litteris, & ritibus eſt apprimè verſatus. Hic in peculiari tractatu, quem de Sinicis controverſiis eximio ſtudio elaboravit, ſic ait hiſpa-
„ num ejuſ ſermonem latinè transfero. Præter
„ dicta optarem, ut fratres mei hoc unum ad-
„ verterent, ſcilicet quod etiamſi P. Fr. Joannes
„ Baptiſta de Morales ſacræ Congregationi
„ propoſuerit Infideles ſacrificare Tabellis,
„ eáſque animarum ſedes vocaverit, non prop-
„ tereà eas ſacra Congregatio prohibuit, niſi in
„ *vero, & proprio Altari.* Quid autem egiſſet, ſi
„ ipſa ſciviſſet quod menſa munerum defun-
„ ctis oblatorum non eſt verè, & propriè Al-
„ tare propter rationes jam dictas, neque aula
„ in qua id agitur eſt templum, neque mu-
„ nerum oblatio eſt ſacrificium & encomia,
„ orationes funebres, nihil aliud eſſe, quàm
„ hyperbolicas laudes, & Tabellam nihil aliud
„ eſſe, quàm defuncti viri imaginis ſubſtitu-
„ tum, illámque non vocari ſedem, niſi me-
„ taphoricè, repræſentativè, & ſolâ opinio-
„ ne, vel cogitatione, & ante illas domeſti-
„ corum negotiorum narratio, obedientiæ,
„ filialis pietatis erga parentes defunctos ma-
„ nifeſtationem, ſive manifeſtationis ſpeciem
„ non excedit; agunt enim cum eorum imagi-
„ ne eoſdem actus, quos coram illis viventi-
„ bus egiſſent. Hactenùs P. de S. Petro, cu-

jus ſingula dicta veriſſima, & notatu digniſſima ſunt, & alibi Deo favente Sinicis textibus confirmabuntur, & elucidabuntur.

Quartus Teſtis eſt R. P. Fr. Bonaventura Yubanches è ſacro Ordine S. Franciſci omnium ſuæ religionis Miſſionariorum in Sinis ſuperior, & Commiſſarius Provincialis. Hic in quodam ſcripto propriâ ipſius manu exarato, quod mecum ſervo, cum Cantone degerem 2. Julii 1680. ad me tranſmiſſo, in quo agit de modo, quo cupit dictas Tabellas reformare, earum ſanè uſum proculdubio admittit, & tamen quam ibi proponit, reformatio an ſit neceſſaria & opportuna, alibi plenè diſcutietur.

Præter hos quatuor tam fide dignos teſtes, quibus ullam exceptionem dare poſſe nefas eſt, aliud etiam majoris ponderis addi debet, ſcilicet quod R. P. Fr. Carolus Clemens Ordinis S. Dominici, & Philippinarum Provincialis, variis vicibus Miſſionariis ſuis ſubditis in Sinis degentibus imperavit, ut cum Societatis Jeſu Patribus in eadem Miſſione morantibus, uniformiter in ritibus agerent. Hoc ex variis ejus epiſtolis in noſtro Archivio ſervatis conſtat. Item R. P. Franciſcus de Paula ejuſdem Ordinis, & Provinciæ Provincialis, eiſdem Patribus ſibi ſubjectis juſſit, ut reſponſionibus à P. Martino Martinio Româ allatis ſe conformarent. Denique R. P. Fr. Philippus Pardus ejuſdem itidem Ordinis, & Provinciæ Provincialis præcitatis ſibi ſubditis vetuit, ne in ſuis libris illi doctrinæ contrarium ſcriberent, quam Societatis Patres ſcripſiſſent in ſuis. Hæc

omnia manifeſtè conſtant ex epiſtola prædicti Patris de ſancto Petro ad ſuum Provincialem, & Definitores Capituli Provincialis Philippinarum conſcripta; quæ ante initium citati tractatus ejuſdem Patris invenitur. Cùm igitur ſacrarum Romanæ Curiæ Congregationum reſponſiones à ſummis Pontificibus ter approbatæ, Tabellas defunctorum ſecluſis ſuperſtitioſis, Sinenſibus permittant; item cùm talem eſſe earundem reſponſionum ſenſum prædicti valdè æſtimandi teſtes affirment; cùm denique in ritibus Sinenſibus conformitate nobiſcum, reſponſionum à P. Martino Martinio allatarum obſervantiam, & ne quid noſtræ doctrinæ contrarium in libris conſcribatur, Tres Provinciales Ordinis S. Dominici Miſſionariis Sinicis ſuis ſubditis præceperint.

His omnibus non obſtantibus P. Franciſcus Varus in ſui Sinici opuſculi quæſito dicto hæc quæ ſequuntur exarare non timuit, & apud Neophytos evulgare non dubitavit. Sic igitur ait.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Id eſt. *Quæritur. Sinenſes omnes conſanguineis, affinibus, ſapientibus demortuis erigere & exponere Tabellas ad eos honorandos, hoc præcipuè antiquo ritui attribuitur,* & in ejus uſu, *petendi felicitatis intentio non intervenit? Cur ergo ſancta Dei lex hoc interdicit? Reſpondetur Tabella defunctorum eſt fal-*

ſa , deceptiva , & erronea res , quomodo ergo fieri poteſt , ut ſancta lex eam non prohibeat?

In quæſito etiam 11. ejuſdem opuſculi idem Autor has Tabellas appellat.

. . . .

Id eſt *Aula defunctorum falſas imagines , ſive Idola.* . . . .

Ex utroque textu planè conſtat , quantum P. Varus Apoſtolicis decrétis , cæteriſque ſupra relatis directè adverſetur , & quomodò ſuam privatam opinionem , tanquàm divinæ legis dogma , & præceptum ipſe proponat , quâ fide erga veritatem , & quò Sinenſium ſcandalo cæteri judicent , quæ ab Autore ad ſuam ſtabiliendam ſententiam loco citato , & in aliis ejus manu ſcriptis tractatibus afferuntur ; alibi plenè expendentur ; modò enim de mala fide , in quânam altercantium parte ipſa conſiſtat , per modum præludii pertractamus.

. . . .

. . . .

QUARTA PROPOSITIO.

Obſequium filiale ſupra quam fieri debeat, & liceat extollitur à P. de Morales in ſui opuſculi prima periodo, ait.

. . . .

Id eſt *Sanctæ Dei legis obſequium filiale, eſt prima res neceſſaria.*

LIcet Autor verbis poſt hunc textum immediatè ſequentibus aſſerere voluiſſe videatur, obſequium filiale in lege Chriſtiana exercitum, cum obſequio filiali ab Ethnicis ſuis parentibus præſtito comparatum, illud iſti præcedere tamen negari non poteſt, prima jam relatæ periodi verba magnam continere æquivocationem, & Sinenſibus in parentum obſequium propenſiſſimis non leviter offendiculum afferre, cùm ex illis verbis facillimè inducantur, & apud ſe arbitrentur primum, & magis in divina lege neceſſarium eſſe honorare Parentes. Confirmatur hoc ex ultima opuſculi periodo, ubi abſolutè, & ſine ulla æquivocatione ſic dicitur.

. . . .
. . . .

Id eſt *unius Dei cultu excepto, honorare Parentes, eſt prima res neceſſaria.*

Hæc

Hæc propoſitio ſub his terminis enunciata videtur penitùs falſa, & Neophytis ſcandaloſa, ne dicam illam quoque eſſe hæreticam, etenim cultum B. Virginis, & ſanctorum, filiali ergà Parentes cultui poſtponit, cui ille proculdubio præferri debet. Quod autem ſit falſa, præterquàm quod allata ratio id perſuadeat, inſuper probatur ex eo, quod multa alia ſunt homini ad ſalutem magis neceſſaria, quàm cultus parentum, nam ſi parentes ſint mortui, vel etiam ſi vivi ſint, & abſentes, ſine ullo ergà eos cultu æternam ſalutem aſſequi poſſumus. At verò ſine obſervatione aliorum mandatorum, quorum aliqua ſunt negativa, quæ pro omni tempore obligant; impoſſibile eſt æternam adipiſci ſalutem. Deinde ſi de vivis parentibus agatur, quod Autor non determinat, certum eſt, quod in ſingulis Dei præceptis ad ſalutem conſequendam obſervandis, non datur magis, aut minùs neceſſarium, cùm ſingula ſint ita neceſſaria, ut uno tantùm non ſervato ſalutem obtinere ſit impoſſibile. Unde Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè pronunciat, *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Falsò ergo dicitur, quod *colere parentes poſt Dei cultum ſit primum maximè neceſſarium.*

At fortaſsè reſpondet Autor, quod per *ly* neceſſarium intelligit præcipuum, ſive magis principale, & ſtrictiùs obligatorium. Hoc autem quoque falſum eſſe, ſic oſtenditur. Præceptum magis obligans, in majus peccatum violantem inducit, ſed majora dantur pecca-

ta, quàm præcepti de honorandis parentibus violatio, illud enim cùm ſit poſitivum, omiſſione frangitur. Quis autem non dicet eſſe majus peccatum, ſeipſum, aut quemlibet alium occidere, quàm cultum parentum negligere? Similiter fornicationem, adulterium, pactum inire cum dæmone &c. levius hoc eſſe, quàm in cultu eorundem parentum per omiſſionem deficere quis autumet. Prætereà peto ab Auctore, quodnam ſit majus peccatum, parentes, vel Eccleſiam non audire ſanè hoc eſt gravius, cùm nos Ethnicis publica vis ſimiles efficiat: obſequium igitur filiale nullo modo præferendum eſt obſequio, & ſubmiſſioni, quam Eccleſiæ Chriſti ſponſæ quiſque debet, adeóque prædictam propoſitionem temerariam, & falſam eſſe, videtur non poſſe dubitari. Denique ea propoſitio eſt Neophytis ſcandaloſa, cùm per illam perperam doceantur, quod præter peccata, quæ directè contra Dei cultum committuntur, nullum ſit gravius, quàm parentum cultum negligere, & quod in vita Chriſtiana parentes deſerere ad Evangelica conſilia ſequenda non liceat, juxtà illud Chriſti: *Qui non odit Patrem & Matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Non temerè forſan quis opinabitur P. de Morales dictis propoſitionibus ſuum tractatum à capite ad calcem præcluſiſſe ad ſibi captandam Sinenſium benevolentiam, & quaſi illius extrema dulci lacte & melle tinxiſſe ad tegendam, quæ in toto opuſculi corpore continetur, amaritiem, ludicra ſanè eſt res, ali-

quid unâ manu liberaliter offerre, & alterâ a varè ſurripere.

QUINTA PROPOSITIO.

Quartum Dei Præceptum in poſitivum, & negativum minùs aptè dividitur.

PAter de Morales in ſuo Sinico opuſculo quartum Dei præceptum, quod à Theologis inter poſitiva præcepta abſolutè & ſimpliciter collocatur, illud in poſitivum, & negativum diſtinguit. Poſitivum eâ ratione declarat, ut ſi ejus doctrina de obſequio filiali cum ea quâ Sinenſes de eodem tradunt, comparetur, illa præ hâc valdè ſterilis, & jejuna videtur, immò talibus loqüendi formulis Autor utitur, ut pleræque ex libris Sinicis erutæ inveniantur, pauca ſcilicet de plurimis, quæ inibi extant ad filiale obſequium pertinentia.

Negativam autem hujus præcepti partem à ſe effictam Autor ſic explicat.

. . . .
. . . .

Dupliciter textum hunc transferri oportet; nempè & juxta Patris de Morales privatam intentionem, & ſecundum publicam, & communem Sinarum, qui hunc textum legerint,

intelligentiam, juxtà dicti Patris intentionem ſic vertitur.

Attamen quod prohibetur, tantummodò eſt vana res ſacrificia defunctis hominibus offerendi, quia ſacrificii oblatio ſoli Deo fieri poteſt.

Secundùm obvium & communem Sinarum conceptum ſic transferri debet.

Attamen quod prohibetur, eſt vana res munera defunctis hominibus offerendi, quia ſacrificii oblatio ſoli Deo fieri poteſt.

In hujus textûs verſione, & Autoris mentem, & Sinarum intelligentiam circà litteram .. *Ci* duplicem ſenſum disjunctivè appoſui: In utroque tamen ſenſu à debito loquendi modo ipſe Autor declinat quàm maximè, vel enim Sinenſes hic per litteram *Ci* verum, & proprium ſacrificium intelligunt, & ſic malè explicatur alteri præterquàm ſoli Deo exhibiti ſacrificii graviſſima malitia, cùm dicatur hoc eſſe rem vanam, & ſupervacaneam, iſte enim eſt ſenſus litterârum . . *Hiu* . . *Su*, cùm reverà ſit ſummè criminoſa, & nefaria Idololatria, vel Sinenſes per eandem litteram *Ci* intelligunt munus genericè ſumptum, & tunc eſt falſiſſimum, immò & valdè ridiculum aſſerere à Deo prohiberi munera defunctis offerre, cùm de facto ab ejus Eccleſia hoc agi olim, & modò permittatur. Quomodò ergò Autor poteſt aſſerere, & Sinenſibus denunciare dictorum munerum oblationem à Deo præceptivè interdici.

Prætereà notandum me nullatenùs argui poſſe, ex eo, quod litteram *Ci* ad Deum di-

rectam nomine ſacrificii interpreter, & eandem ad defunctos relatam nomine muneris transferam, quia cùm hæc littera ſit æquivoca, & in religioſo, vel politico ſenſu inter Sinas adhibeatur, juxtà ſubjectam materiam diverſimodè explicari, & verti opus eſt. v. g. cùm hanc vocem *Canis* audio. Si de ſtellis loquamur, Syrium intelligo. Cùm de animalibus agitur, belluam percipio, cùm de cantu ſit ſermo, de canendo tunc agi percipio. Immò ex hoc contra P. de Morales & cæteros ejus aſſeclas argumentor, quia cùm diſputent de rebus omninò diverſis, ut ſunt verum, & in rigore acceptum ſacrificium, & munera politica per æquivocationem vocis, & litteræ *Ci*, utrumque confundunt, & perpetuò paralogizant, videatur articulus 1. capitis præſentis tractatûs.

SEXTA PROPOSITIO.

Nova, & nunquàm audita Dei mandata, circa defunctorum funera Neophytis proponuntur.

PAter frater de Morales in ſuo Sinico opuſculo, apud me, pag. 2. ſic inquit.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Id eſt. *Si contra filiorum vota Parentes vitâ defungantur quid agendum? Equidem neceſſe eſt, honorificè, & graviter ritus peragere funerales, nempè defuncti cadaver mortualibus veſtibus componere, arcam ligneam ad condendum cadaver fortem, ac nitidam præparare, ejus ſepulturæ locus elevatus ſit, & ſiccus, lugubres veſtes ex cannabe confectæ ſunt induendæ, ad cordis commiſerationem perfectè quidem, & fideliter demonſtrandam, ne fiat, ut poſteà aliquid in hoc eſſe prætermiſſum, oporteat pœnitere: hoc certè eſt quod Deus præcipit, planè ita eſt.*

Si hæc verba in Sinico Patris de Morales opuſculo clariſſimè conſcripta non extarent, quis unquàm ea, ex tanti viri ore excidiſſe credere auderet? In his igitur doctrinis ex traditionibus hominum, quæ apud Sinas pravâ non ſemel intentione involutæ reperiuntur, cùm deberet Autor ſedulò elaborare, ut pretioſum à vili, & ſuperſtitioſum à politico, & indiferenti ſecerneret ſine ulla diſtinctione, & præmonitione omnia mixtìm tanquàm à Deo præcepta Neophytis indubitata aſſertione proponit. Quidni noſtro Autori non ineptè diceretur, quod habetur Jeremiæ c. 23. v. 28. *Propheta qui habet ſomnium, & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè quid paleis ad triticum dicit Dominus?* Sed de his, quæ Autor Neophytis concedit, & Dei nomine præcipit, alibi plura.

. . . .

. . . .

. . . . .

. . . .

SEPTIMA PROPOSITIO.

Quæ juxta Dei legem , vel P. de Morales ſententiâ prohiberi debent ab eodem Neophytis facilè conceduntur , & uæ Romæ ille damnari curaverat degens poſteà in Sinis approbat , & iiſdem indulget.

HIc Autor in eodem opuſculo pag. 1. facie 2. ſic loquitur.

. . . .

Id eſt *Annuatim ſtatuto tempore , cùm recurrit ſolemnitas vocata . . Jo , & alia vocata . . La die natali parentum , die , quâ virilis pileus aſſumitur , & die nuptiarum filii parentibus fauſta hilariter annuncient , & profundam exhibeant reverentiam.*

Optimè iis verbis , vel ſaltem innocenter locutum ſe eſſe autor forſitan arbitrabitur , ſed revera in illis dupliciter , & graviter labitur.

Primò enim concedit Sinenſibus in gentilica ſolemnitate vocata *Jo* tanquàm in die magnæ lætitiæ ſuis parentibus fauſta hilariter apprecari , illóſque profundâ reverentiâ venerari. Non advertit autem , ut videtur , hanc diem eſſe ſuperſtitioſæ infidelium ſolemnitati conſecratam , ideóque illicitum eſſe ſaltem ſine proteſtatione Chriſtianis ad ilius lætitiam , cujus

objectum eſt ſuperſtitioſum, concurrere. Legatur vocabularium Sinicum nomine . . *Chim* . . . . *Cu*, tum in explicatione litteræ . . *fo*, ibi enim dicitur hanc litteram inter alia ſignificare tres dies anni, quorum primus, & ſecundus poſt ſolſtitium æſtivum occurrit, & tertius initio Autumni, deindè addit.

. . . .

„ Id eſt in diebus vocatis *fo*, mali ſpiritus, „ ſive lemures perambulant, ideóque totis il„ lis diebus, homines ſe abſcondunt, & do„ meſtica negotia non tractant. Hactenùs voca„ bularium. Hi igitur dies apud Sinenſes feſtivi habentur, & filii coram parentibus accedentes, illos genuflexo adorant, & fauſta omnia eiſdem apprecantur, ad eos hilariter conſolandos, hoc enim ſignificat illa littera . . *Kim*, in textu appoſita.

Secundò in eodem textu Sinenſibus Autor indulget, ut in illa duodecimo menſis die, quæ apud illos vocatur . *La*, illa ipſa, quæ ſuperiùs relata ſunt, reverentiæ fauſtæ acclamationis, & hilaritatis ſigna coram parentibus peragant. Hæc autem dies inter Sinas eſt feſtiva, eò quod ut aiunt vocabularia Sinica in explicatione hujus litteræ *La* tali die . . *Ci* . . *Sien* . . *Cu* id eſt, ut interpretari cogitur P. de Morales, ſacrificia majoribus defunctis offeruntur. Cùm ergo ſecundum dicti Patris ſententiam Sinenſium munera majoribus defunctis oblata ſint ſuperſtitioſa, & nefaria, cur eo die,

die, quo illa peraguntur Neophytis abſolutè, & ſine ulla proteſtationis mentione, ſi quid ea tunc valeat, ipſe concedit per ſupra relatam lætitiam, & fauſtas acclamationes ad ea concurrere, & cooperari? Cur ullum de ea re quæſitum ſacris Romæ Tribunalibus non propoſuit, immò ècontra ſine ulla, ut videtur conſcientiæ titillatione Neophytis hoc permiſit? Certum eſt, quod antiqua Eccleſia gentilicas ſtrenas, quæ Kalendis Januariis celebrabantur adeò abhorruit, ut in variis conciliis non tantùm hunc ſuperſtitioſum ritum prohibuerit, ſed inſuper ſtrenarum diebus jejunia, & preces indixerit, & Alleluya cantari vetuerit, ut conſtat ex Concilio Tolet. 4. can. 11. & Concil. Turon. 2. can. 18. horum ratio affertur ab Auguſtino in pſalmum 98. qui ait. *Ut quando ipſi*, gentiles, *lætantur nos pro illis gemamus*, & etiam ab Ambroſio ſerm. 11. dicente, *ut quando illi epulantur, & læti ſunt, tunc nos ſimus ſoli, atque jejuni, quo intelligant ſuam lætitiam noſtrâ abſtinentiâ condemnari.* Videatur Baſilius Pontius, qui de his copiosè, & eruditè agit in libro variarum diſputationum parte 1. quæſt. 2.

Ex ſupradictis ergò evidenter infertur, quod quæ juxta Dei legem, vel P. de Morales ſententiam, debent Neophytis prohiberi, ab eodem P. eiſdem liberaliter conceduntur, & quæ Romæ ille damnari curaverat, in Sinis poſteà degens approbavit, & Chriſtianis indulſit.

OCTAVA PROPOSITIO.

Summis, & indebitis laudibus à P. de Morales, ejúſque ſociis extollitur Confucius, licet agnitus, ſed falsò, ut primus Autor eorum rituum, quorum in Romana Curia damnationi urgenter incubuit.

PAter de Morales citati Sinici opuſculi, apud me, pag. 6. Sic loquitur.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Id eſt *erit ſanè aliquis vir doctus, qui ſic argumentari poſſit, & dicere. Equidem juxta ritûs munera ſic litteram Ci juxta doctorum virorum Sinenſium intelligentiam interpretor*, offerre, *defunctis nonne hæc eſt doctrina Confucii : reſpondeo ſex volumina*, id eſt Sinenſium ſex antiqui, & claſſici libri *ſunt, naturali legi conformia commentaria. Cœlum aſſumpſit Confucium, ut eſſet ligneum crepitaculum*, alludit ad antiquum Sinarum morem ut quotannis quidam Præfectus ligneum crepitaculum tangens in publicis viis altâ voce ſex morales ſententias recitaret, *ad homines*

jamdiù exleges educendos, *ideo illum legati munera fungentem miſit ad ſurdos excitandos, & cæcos expergiſcendos*, notetur de cœcis expergefactis loquendi improprietas, *ac ſi eſſet Dei præcurſor. Nunc verò naturam humanam Deus aſſumpſit*, *& per ſe ipſum magni ſacrificii ritum ſtabilivit. Orto jam ſole*, *ligneâ faculâ ex paleâ confectâ uri velle*, *hoc nonne eſt ſupervacaneus labor*? Hactenùs P. de Morales, in hoc textu quinque notatu digniſſima inveniuntur.

Primò, & principaliter de immodicis laudibus Confucio attributis, quantum ad hoc pactum dictus P. ſuos habet conteſtes, & ſequaces.

Primus conteſtis eſt ex eodem Ordine S. Dominici in libro ſinicè conſcripto, & Manilæ typis excuſſo cui titulus eſt.

. . . .

Id eſt *Patris Dominici Lichoma*, Europeum verum cognomen qualenam ſit ignoro, *de recta Dei lege facilè lectu*, *& novitèr excuſſum commentarium*.

Hic igitur autor dicti operis lib. 1. à pag. 110. & deinceps agit de Chriſti Domini imitatione à Chriſtianis ſedulò procuranda pag. verò 112. ſic ait.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Id eſt, *exempli gratia eſt qui dicat: Jeſus Chriſtus ipſe certè Deus, ego verò homo, & nihil ampliùs: ipſe eſt valdè bonus, & magna virtute præditus, ego valdè inferior, imperitus, & valdè inferius vilis, & ſanè inutilis, quomodò potero illum imitari? Hoc verò difficile eſt: Si tamen Deus gratiæ munus conferat, & humanas vires adjuvet, difficile non erit. Comparationem à Confucio ſumamus, ipſe ſanè à Nativitate ſapiens eſt, & ſanctus vir hoc autem quomodò potuit obtinere; ſi Deus hominibus diſtinctam rerum ſcientiam & ingenii perſpicacitatem concedat, & diſcendi voluntas ab homine habeatur, tum demùm & poterit ille in pedes aſſurgere, & appropinquare ad Chriſti imitationem &c.* Hactenùs prædictus Autor.

Circa hujus textûs ſtyli, & locutionis intelligentiam quæſo lectorem ne turbetur, ſi ibi Deus appelletur *Leao Xi*, quod propriè verti debet, *homo quidam cognomine Leao.* Itidem ſi nomen Jeſu exprimatur per litteras *Si Su*, quæ propriè ſignificant *Occidentis litterarum virum*, quâ phraſi noſmetipſos inter Sinas vocitamus. Item ſi nomen Chriſti Sinicè pronuncietur *Xichixetao*, cujus ſenſus eſt *Admirabilis viri vera lex.* Denique ſi gratia divina nominetur ni fallor, quod ſecundam litteram, quam in quatuor vocabulariis Sinicis non inveni *ya la xe.* Non propterea inquam Lector turbetur neque miretur, quia hæ loquendi formulæ apud dictum

Autorem in explicandis Chriſtianæ legis Myſteriis ſunt paſſim uſitatæ, licèt reverà nec materialiter ſumptæ quoad vocum Sinicarum ſonum ullo modo Dei Jeſu Chriſti, & gratiæ, Europea nomina exprimant, & inſuper ſenſum in Sinenſi idiomate plurimum indecentem efficiant, ſed de his alibi plurima.

His ad majorem declarationem præmiſſis ad citatum textum redeamus. Clarè patet Confucium ibi vocari à nativitate ſapientem, & virum ſanctum verâ propriâ, & ſupernaturali ſanctitate præditum, ut ex benè inter ſe collato toto loci contextu legitimè inferri debet. Si tamen Sinenſes litteratos viros, eorúmque libros conſulamus, nihil tale de Confucio poteſt in rigore affirmari. Probatur quia licet quidam Sinenſes Confucium à nativitate ſapientem appellaverint, tamen ex libris Sinicis, & ex ipſiuſmet Confucii expreſſis verbis planè conſtat, ipſum habuiſſe Magiſtros, & rerum ſcientiam paulatim uſque ad ſenium didiciſſe. Illud igitur de Confucii ſcientia ex ipſo ortu habita dictum, ſumendum eſt, ut hyperbolicè prolatum. Quoad ſanctitatem verò ſi propriè ſumatur eſt pariter falſum, illam à Sinenſibus Confucio tribui, præſertìm juxtà ſcientiam nos impugnantium, qui Confucio, & cæteris Sinenſibus omnem Dei, futuræ vitæ, & omnium ſupernaturalium notitiam adimunt. Ex dictis itaque clarè evincitur, quàm gratis dictæ ſapientiæ & ſanctitatis encomiis in relato textu Confucius exornetur.

Secundus conteſtis eſt P. Fr. Antonius de

ſancta Maria Ordinis S. Franciſci, qui in libro Sinicè ſcripto, & typis mandato, cui titulus eſt . . *Tien* . . *Ju* . *In* Id eſt, *Cœli, ſeu Dei legis, & Sinenſium litterariæ ſectæ ad modum ſigilli, & rei ſigillatæ conformitas* pag. 16. præterquàm quod Confucio defert nomen . . *Xim*, quod alibi eidem poſſe deferri acerrimè negat, & impugnat, eò quod putet illam litteram veram, & propriam ſanctitatem ſignificare, hæc etiam addit ad magnum Confucianæ laudis complementum.

. . . .

. . . .

Id eſt. *Vir nomine y yum etiam inquit cœlum aſſumpſit Confucium, ad hoc ut eſſet ligneum crepitaculum. Hinc ſimul intelligitur hoc quod eſt Confucium præſidere doctrinæ, ejúſque promulgationi à ſuperioris Cœli mandato præfici.*

Ex dictis patet, quænam encomia à tribus Sinicis ſcriptoribus utriuſque Ordinis S. Dominici, & Franciſci Confucio tribuantur, ſcilicèt, quod ſit ab ipſa Nativitate ſapiens, & . . *Xim*, id eſt, proprii, & genuini Sinici ſenſûs metâ, & limitibus prætergreſſis, verâ propriâ, & ſupernaturali ſanctitate præditus, à Cœlo ſpecialiter electus, & ad hominum Magiſterio præſidendum delegatus, conſtitutus, & cui nihil addi poſſe præcelſius videatur, alter Dei in carne venturi Præcurſor.

Liceat modò hos Confucianos Encomiaſtas in illius laudibus tam exorbitanter profuſos ſic convenire. Summa veritas pronunciat. *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit, non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala, bonos fructus facere, ergo, aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Cùm igitur tam grandiloquis, & immoderatis laudibus ad ſydera Confucius extollatur, & in nono quæſito P. de Morales ſacræ Congregationi de propaganda Fide propoſito Sinenſes ritus circa cultum defunctorum ex tradita à Confucii doctrina proceſſiſſe ſupponantur, cur quæſo deinde idem P. in quæſito 13. eos omnes ritus illicitos eſſe ſupponit, eorúmque omnium condemnationem tantâ ſollicitudine, & ardore obtinere curavit? difficulter ſanè, ut videtur, viam ſibi aperiat ad ſeipſum ab indiſſolubili per æternam veritatem confecto dilemate extricandum. Quomodò à manifeſta contradictione immunem ſe eximet, dum in Romana Curia Confucium tanquàm ſuperſtitionum, & Sinicæ Idololatriæ erga defunctos Autorem vehementiſſimè accuſat, & deprimit? Apud Sinas verò eundem tam prodigè effuſis, & quàm maximè indebitis laudibus proſequitur, & exaltat? Sed ad textum P. de Morales initio hujus octavæ propoſitionis allatum revertamur.

Secundò in eodem textu dictus Autor ſa-

tis clarè inſinuat per inſtitutionem ſacrificii Miſſæ tanquàm ad ortum Solis mirabiliter coruſcantis cætera omnia priſca ſacrificia, inter quæ etiam Sinenſium munera Confucio, & defunctis oblata adnumerari videntur. Si totus contextus benè perpendatur, tanquàm tenuiſſimas faculas conſpici deſiiſſe: immò ceſſaſſe, & evanuiſſe; ergo ante inſtitutum à Chriſto Domino Miſſæ Sacrificium, non ſolùm veteris legis ſacrificia licita erant, ſed etiam à Confucio, ut ſupponitur, ſed falsò in honorem defunctorum apud Sinas inſtituta ſacrificia erant pariter licita. Ex præmiſſis in textu propoſitis, hæc videtur inferri legitima conſequentia. Sed contra ſacrificia ſuperſtitioſa, & Idololatrica quocunque tempore ſunt illicita, quia intrinſecè mala. Quomodo ergo à Confucio inſtituta ſacrificia juxta P. de Morales intelligentiam loquor, ante Chriſti adventum fuiſſe licita ſupponuntur?

Tertiò in eodem textu affirmatur, Sinarum ſex libros antiquos, & claſſicos quos vocant . . *Lo* . *Xim*, eſſe leges naturæ conformes, ergo eorum doctrina, utpotè naturæ conſona recta eſt, & in ſuo genere perfecta. Quomodò igitur à P. de Morales aſſeclis affirmari poteſt, Confucii, & priſcorum Sinarum doctrinam eſſe merum Atheiſmum, cùm lex naturæ dari Deum clarè convincat? Præterea cùm denominatio à potiori ſumatur, ſi quod eſt potiùs in lege naturæ Dei ſcilicet notitia priſcis Sinenſibus denegetur, quomodò illorum

illorum doctrinam eſſe legi naturæ conformem dici poterit ?

Quartò in eodem textu Deus ſub cœli nomine appellatur , & de eo dicitur , quod Confucium in ſuæ legis promulgatorem , ſuum legatum , & præcurſorem elegerit. Immeritò igitur ab iiſdem contrarium defenditur , Sinenſes ſcilicet ſub *Cœli* nomine nullam divinitatem agnoſcere , & per illud nihil niſi quid materiale ſignificari.

Quintò ibidem falsò affirmatur , quod Confucius Sinenſes jamdiù exleges naturalem legem docuerit manifeſtè , hoc refellit idem Confucius in libro . . *Lun* . . *yu* initio Capitis per hæc verba.

. . . .

Id eſt , *Confucius ait : Ego refero , & non* (meo marte) *compono , credo , & amo antiquos ſapientes.*

Commentator nomine . . *Chu* . . *Hy* hunc locum exponens ſic ait in perſona Confucii.

. . . .

Id eſt. *Refero , & promulgo antiqua , & nihil amplius.*

Deinde idem Commentator ibidem fusè probat Confucium veterem doctrinam docuiſſe , nec aliquid novi protuliſſe ; ex quo patet falſum eſſe, quod P. de Morales

diſertè aſſerit, jam diù exleges Sinas propriâ doctrinâ excoluiſſe.

De omnibus igitur, de quibus in hoc capite actum eſt Lectorem obſecro, ut ſuum ferat æquâ lance judicium, an ſcilicet ſuſpicio de malâ fide, quâ politicus Confucii & defunctorum impugnatur cultus, ſolidè nec nè per ſuperius dicta multipliciter confirmetur.